

1. Melchioris Schmidij diss. de linguis sacris. 1685.
2. Joh: Bernh: Hahn diss. de appellatione linguae  
Hebraeae, quae dicitur Sancta. 1715.
3. Joh: Henr: Henel diss. de vocis quam Hebraei vocant  
Felia. 1673.
4. Valent: friderici diss. de filia vocis. 1670.
5. Henr: Liedert diss. de mandato scribendi novum testam.  
1719.
6. Joh: Henr: Lyrj diss. de usu linguae Syriacae 1726.
7. ejusdem de historia linguae Sanctae. 1726.
8. Mich: Gherckhe diss. de fama graecae linguae. 1716.
9. Joh: Bernh: Hahn diss. exhibens decadem observat-  
tionum philologicarum, e literatura Graeca, Chr:.
10. ejusdem, de appellatione Linguae Chrae. quae dicitur Sancta  
1715.
11. ejusdem, diss. exhibens decadem observat-  
ionum philologicarum e literatura orientali. 1715.
12. Bernh: von Sanden diss. de Noxa, 1709.

13. pauli Rabe diff. de vere Auroz. 1686.  
 14. jar. Sahmij diff. de vere Auroz. 1688.  
 15. Christ. Gabr. Fischer examen Scripti theoph. Amily  
 16. G. Frid. Rozal diff. II. exhibentes Jesum C. totius  
 theologie fundamentum. 1725.  
 17. Henr. Lyby programma. 1725.  
 18. Jo. pomani. pefarovy diff. de christo aeterno patris filio <sup>1700</sup>  
 19. Joh. phil. Pfeifferi diff. ex Esaiâ XLV. v. 14-15. 1685  
 20. Bernh. v. Sanden diff. de divinitate Christi. 1689.  
 21. Coel. Mislenta diff. de Deo patre ejusq. filio unigenito <sup>1622</sup>  
 22. Mart. Lyl. Grabe diff. de unione duarum in Christo <sup>naturarum 1663</sup>  
 23. Joh. Affelmanni diff. de persona Christi Salvatoris <sup>1614</sup>  
 24. Bernh. v. Sanden diff. de sanctissimo nomine Jesu <sup>1684</sup>  
 1702.  
 25. ejusdem diff. de sanctissimo nomine Christi. 1702.  
 26. Christ. Walther de viro German. 1711.  
 27. Frid. Deutsch diff. de obumbratione spiritus S. super <sup>maria 1708</sup>  
 28. G. Henr. Goetsi problema, num Maria Jesum pariens  
 obstetricis opera fuerit usa. 1707.  
 29. Frid. Deutsch diff. de vera carne Christi. 1702.  
 30. Coel. Mislenta diff. de Angelica annuntiatione incarna-  
 tionis filii Dei. 1623.  
 31. Joh. Frid. Moseri sermo de Stella Mayorum. 1681  
 32. Joh. D. Hochmuth diff. de magis ad cuas Christi propequantibus <sup>1689</sup>  
 33. Dan. Rhoden de magis primis Salvatoris venerationibus <sup>1681</sup>  
 34. Ben. psieteti diff. quatuor de magis pietatis <sup>1696</sup>  
 35. Jo. Christ. Hilscher diff. de erroribus pietorum  
 circa natiuitatem Christi. 1689  
 36. Bernh. v. Sanden diff. de pulchritudine Christi. 1711

37. Jac. Hildebrandi Libellus de natalitjs veterum. 1661.  
 38. Joh. Jac. Rhode Diss. de convivij natalitjs. 1716  
 39. Frid. Freytag Diss. de coronis convivialibus. 1712.  
 40. G. Henri Goetzi quæstio num sacerdoti convivjs interdicat. 1723  
 41. p. Rabe Diss. de victu Joh. Baptistæ. 1689.  
 42. ejusdem, Diss. de amictu Joh. Baptistæ. 1689.  
 43. Joh. Musæi Diss. de ritibus baptismalibus primit. Evl. 1679.  
 44. Bernh. v. Sanden Diss. de apparitione spir. S. in pp. Col. 1712.  
 45. p. pesarovi Diss. de baptismo hereticorum. 1703.  
 46. Frid. Baldvini Diss. de baptismo Calvinianorum. 1619  
 47. Joh. Ern. Seyers Diss. ex Marc. XII. v. 41. 42. 1707  
 48. Joh. phil. Pfeifferi Diss. de significatione εννοειοε 1682  
 49. godofr. Wezneri Diss. de respiratione ablati 1707  
 50. Joh. phil. Pfeifferi Diss. ex Matth. XIX v. 24. 1679  
 51. Christ. Gabr. Fischer Diss. contra theoph. Amelung. 1772.  
 52. Joh. Bened. Carpeovii Diss. de asino Messæ. 1671  
 53. Bernh. v. Sanden Diss. de persona et officio Messæ. 1683.  
 54. Mich. Behm Diss. de triplici officio Christi. 1639.  
 55. Mich. Waltheri Diss. de nova legis latore Christo. 1691.  
 56. Andri. Dan. Habichtorst Diss. ex Isaiæ XI v. 4 = 8. 1697.  
 57. Bernh. v. Sanden Diss. de operationibus theandr. C. 1699.  
 58. Christoph. Frid. Baumgarten Diss. de miraculis. 1721  
 59. Henri. Lysij Diss. de defectu miraculorum. 1717.  
 60. Joh. Hülsemanni Diss. ex Esaiæ LIII. 1639

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

**SPIRITUS SANCT**

APPARITIONE ET DESCENSU  
SUPER CHRISTUM BAPTIZATUM  
IN SPECIE

**COLUMBÆ,**

Matth. III, 16. Marc. I, 10. Luc. X, 22.

*Quam*

ANNUENTE DIVINA GRATIA.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

*AUGUSTO atque SERENISSIMO*

*PRINCIPE ac DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WILHELMO**

REGNI BORUSSIACI ET ELECTORATUS

BRANDENBURGICI HÆREDE &c. &c. &c.

*IN ACADEMIA PATRIA,*

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE THEOLOGICA

*SUB PRÆSIDIO*

**DN. BERNHARDI von SANDEN**

SS. Theol. D. & Profess. Primar. Conc. Aulici Prim.

& Consil. Consistor. Samb.

*habebit*

RESPONDENS AUTOR

**ALBERTUS COLUMBUS, L. Boruff.**

Phil. & Theol. Stud.

*ad diem*

*Aug. A. 1712. H. L. C.*

**REGIOMONTI, Typis ZÆNCKERIANIS,**

VIROS

*Illustrissimos, Per Magnificos, Excellentissimos  
atque Generosissimos Dominos,*

DN. CHRISTOPH. ALEXANDRUM  
à *Kausche* /

Sac. Reg. Majest. in Prussia Consiliarium Actua-  
lem Intimum, Aulæ Magistrum ac Ord. Aquilæ nigræ Equitem,  
Hæreditarium Dominum in Eiserwagen / Kirschneuen / Madrau &c.

DN. LUDOVICUM ab *Ostau* /

Sac. Reg. Majest. in Prussia Consiliarium

Actualem Intimum & Cancellarium,  
Hæreditarium Dominum in Lablack / Kiesitten.

*Illustrissimum ac Maxime Strenuum*

DN. BOGUSLAUM FRIDERICUM  
COMITEM à *Dönhoff* /

Sac. Reg. Majest. in Prussia Præfectum Bellicum  
& Capitaneum Lyccensem splendidissimum,

Hæreditarium Dominum in Großwolffsdorff / Krunlacken / Marklacken /  
groß und klein Camlacken / Kamplacken / Wenden &c. &c. &c.

*Illustrem ac Generosissimum*

DN. ALBERTUM à KALNEIN,

Vice-Capitaneum Præfecturæ Lyccensis  
meritissimum,

Hæreditarium Dominum in Kilgis &c.

*Dominos suos Gratiofissimos & Mæcenates summos;*

Disputationis hujus qualiscunque oblatione cum pio perennitatis Voto  
in ulteriorem studiorum suorum commendationem, veteri Clientum  
more, colere ac venerari submissè decenterque voluit ac debuit

*Cultor Nominum Illustrissimorum ac Genero-  
sissimorum subjectissimus*

ALBERTUS COLUMBUS.



I. N. I.

S. I.



Llustris est apparitio & patefactio trium in Di-  
vinitate ἰποστάσεων sive Personarum, quæ à  
tribus Evangelistis, Matthæo, Marco & Luca  
diligenter notata, & cum omnibus circumstan-  
tiis descripta est, facta in Baptismo Christi,  
ut similis non exstet nec in Veteri, nec in  
Novo Testamento, tamque evidens & aperta,

ut Veteres dubitantes vel negantes hoc Mysterium jusserint ire ad  
Jordanem & videre. *Huc ad Jordanem!* scribit ATHANASIUS  
ad Antiochum Principem in Respons. ad varias Quæstiones. I.  
Tom. II. Oper. p. m. 276. & vide διὰ πραγμάτων τηλευγῶς τῆς  
ἀγίας ἃ ὁμοοῦς Τριάδος μυσῆριον ex veri. Edition. Commel. reipsa  
evidenter sancte & ejusdem Essentia Trinitatis Virtutem. Patrem qui-  
dem desuper testantem, Filium, qui inferius baptizatur: Spiritum au-  
tem sanctissimum in forma Columba descendentem. Sic & EPIPHA-  
NIUS Sabellium ex hac Θεοφωείᾳ compellat, *Vide, O Sabelli!* &  
diligenter adverte, aperi cordis oculos, neq. cæcus esto, fac, ut tua tuo-  
rumque mens cum S. Johanne ad Jordanem conveniat. Animadvertis,  
opinor, quemadmodum Trinitas ipsa numeretur, cum & Pater de celo  
clamat, & Filius in Jordane tingitur, & Spiritus S. Specie Columba  
delabitur. Lib. II. contra Hæres. LXII. Hæres. quæ est Sabelliano-  
rum Tom. I. Oper. p. 516. 17. Tria imprimis Ἀξιοθάνμασα in hac  
historia Christi baptizati à tribus Evangelistis memorantur: *Cæli*  
*Apertio, Descensus Spiritus S. in forma Columba, & Vox Patris ex aperto*  
*celo intonans.* De apertione Cælorum, quæ dicitur facta, postquam  
Christus ascendisset de aqua, varia à variis magis curiosè quàm uti-  
liser

A

liser

liter quæruntur. Sunt, qui visionem apertionis Cœlorum intelligunt hïc de Visione imaginativa, quali Ezechiel Cap. I. vidit cœlos apertos, & similiter, ut est verisimile, Stephanus Act. VII, 55. *Cœli aperti sunt Christo baptizato non reſeratione elementorum, ſed ſpiritualibus oculis, ſicut & Ezechiel in principio Voluminis ſui cœlos eſſe apertos commemorat,* ſcribit HIERONYMUS ſuper Matthæum. Idem quoque ſentire videtur **AUTOR IMPERFECTI OPER.** apud Chryſoſtomum Tom. II. Homil. IV. in Matth. edit. Francofurt. 1697. p. m. 21. E. dicens: *Quodſi ipſa creatum cœlorum rupta fuiſſet, non dixiſſet Evangeliſta, aperti ſunt ei cœli, non tantùm ei aperti fuiſſent, quia, quod corporaliter aperitur, omnibus eſt apertum.* Sed cum viſio Spiritus deſcendentis in corporali ſpecie Columbæ non fuerit imaginativa, ſed corporalis, & ſimiliter auditio vocis Paternæ fuerit ſenſibilis, verisimilius eſt corporalem fuiſſe etiam viſionem cœlorum apertorum. Marcus notanter dicit, *viſos eſſe cœlos* *ἡλὸς* *ἀνοίχθης* *διſciſſος* ſive *diſruptos*, quæ phraſis uſurpatur de veſte ſciſſa Matth. IX, 16. Joh. XIX, 26. & de velo Templi tempore paſſionis Chriſti in duas partes ſciſſo, Matth. XXVII, 51. Luc. XXIII, 45. Unde Syrus habet vocem *ἡλὸς*, quod ſignificat, *dividere, ſcindere, findere.* Videbant ergo oculis corporalibus, qui hic ad videndum rem mirandam & inſolitam excitantur voce *ἰδὲ*, *Ecce! Cœli aperti:* Quia in ſuprema aëris parte, quæ cœlorum nomine venit, formata fuit Species, ſeu ſimilitudo quædam aperturæ, & hiatus ſenſibilis, quam aperturam Johannes & omnis populus, qui præſens erat Luc. III, 21. oculis ſuis viderunt. Facta autem dicitur apertio *Chriſto*, *ἀνοίχθης* *ἀπὸ* *αὐτοῦ*, *aperti ſunt illi cœli* dicit Matthæus, hoc eſt *ſuper Chriſtum*, ſcilicet in illa parte Cœli, ſub quâ Chriſtus ſtabat, & aſcendens ex Jordanis alveo orabat, & vidit fortè, quæ conjectura eſt B. CHEMNITII in h. l. Harmon. Evang. cap. 17. Johannes B. ex illa ſciſſura ſive apertura emicantem & per radios è Cœlo uſque ad Chriſtum ſe porrigentem lucem auguſtiorẽ & diviniorem, quàm aliàs Lux naturalis efficit, qualis illa fuit, quæ Paulum circumfulſit Act. IX, 3. XXII, 6. XXVI, 13. Facta eſt illa apertura Cœlorum ſum propter varias cauſas myſticas, quas hïc paſſim adducunt Theologi, confer.

AL



ALFONFUS SALMERO Tom. IV. Comm. in Evang. Histor. parte I. tract. 7. p. m. 69, tum ut Columba Spiritum S. referens, & vox Patris non aliunde, quàm è cœlis proficisci viderentur. *De voce caelesti ex aperto cœlo resonante pariter quæruntur varia, qualis illa fuerit? & quomodo in aère formata fuerit? Num referenda sit ad illam revelationis Speciem, quæ à Judæis לקול בן Filia vocis vocatur, qualis audita fuit de Cœlo Joh. XII, 28. & Matth. XVII, 5. & quæ fuerit ejus ratio? Vid. Dissertatio Excell. Do. D. SEGERS, Præceptoris & Fautoris mei ad ævum colendi de Revelat. Divinis ejusque variis speciebus §. II. Num illa per ministerium Angelorum vel à DEO ipso fuerit formata, & quæ sunt alia? Nos hæc mittimus, cum FULGENTIO firmisimè tenentes, *illam vocem, qui solus locutus est DEUS Pater, & illam carnem, qui solus homo factus unigenitus DEUS, & illam Columbam, in cujus Specie Spiritus Sanctus super Christum descendit, illasque linguas, in quarum visione Apostolos replevit, opera esse totius Trinitatis*, Lib. de Fide ad Petrum cap. 9. qui inter Opera Augustin. edit. Basiliens. 1569. habetur Tom. III. Oper. p. m. 209. APPARITIO SEU MANIFESTATIO SPIRITUS S. IN SPECIE COLUMBÆ descendit super Christum baptizatum in illustri hac Θεοφανείᾳ jam unicè nostram exercebit industriam, inquisituri in eandem, quatenus ea à Viris Θεοπνεύστοις nobis patefacta & Majestati divinæ Spiritus S. congruere videtur; Sicuti enim ex sententia PROSPERI Lib. I. de Vocat. Gent. cap. 21. *ea, quæ DEUS occulta esse voluit, non sunt scrutanda, ita quæ manifesta, non sunt neganda: Ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingenti.**

§. II.

Textus verò Authenticus, in quo Apparitio seu Manifestatio Spiritus S. describitur, ita se habet Matth. III, 16. in Edit. Novi Testamenti recentiori Celeber. Angli Joh. Millii, Oxonii Anno 1707.

καὶ βαπτισθεὶς ὁ ἰησοῦς, ἀνέβη εὐθύς ἀπὸ τῆ ὕδατος\* καὶ ἰδὲ ἀνεώχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τῆ θεοῦ καταβαῖνον, ὡσεὶ περιστερὰν καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

*Novum T. Græco-Barbarum.*

Καὶ ἔσοντας γὰρ βαπτισθῆναι ὁ Ἰησοῦς εὐθύς ἀνέβη ἀπὸ τοῦ νεροῦ, καὶ  
καὶ κατὰ τὴν ἀνάχθησαν εἰ οὐρανοῦ καὶ ἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ὁ πῶς ἐκα-  
τέβαινε ὡσάν περιστερὴ καὶ ἤρχετον ἀπάνω τῶν.

*SYRUS ex Versione ARIÆ MONTANI.*

CUM AUTEM BAPTIZATUS FUISSET JESUHUA, STATIM  
ASCENDIT EX AQUA, ET APERTI SUNT EI COELI, ET SU-  
SPEXIT SPIRITUM DEI, DESCENDENTEM, SICUT COLUM-  
BAM, ET VENIENTEM SUPER EUM.

*VULGATUS.*

BAPTIZATUS AUTEM JESUS, CONFESTIM ASCENDIT DE  
AQUA, ET ECCE APERTI SUNT COELI, ET VIDIT SPIRITUM  
DEI DESCENDENTEM, SICUT COLUMBAM, ET VENIENTEM  
SUPER IPSUM. Eodem ferè modo BEZA, JUNIUS & alii Latini  
Interpreses: Nec non DIETENBERGIUS.

*B. LUTHERUS.*

Und da JEsus getauffet war / stieg er bald herauf aus dem  
Wasser / und siehe! da that sich der Himmel auf über Ihm: Und  
Johannes sahe den Geist Gottes gleich als eine Taube herab  
fahren / und über Ihn kommen.

*Antiqua Versio Germanica cum Glossa Lyra, Lubeca Anno 1494.  
impressa per Steph. Arendts,*

Un do Jhūs was ghedopet to der Strunt / stich he vt  
den Vaterē. Un sach den Ghest Gades daleghande also ene  
Duvē un kamende vp ene.

Anglo - Saxonica fragm. Evangeliorum edit. à THOMA  
Marschallo Anglo Amstel. Anno 1684. cujus literas peregrinas sive  
exoticas ex Alphabeto Francisci Junii ita transtulimus quoad poste-  
rius Hemistichium.

And de gereah Goder Gayz uithep rzigende rpa rpa culfan and  
punigende otep hyne.

Parallelus huic locus apud Evangelistam Marcum hic est. Cap. I. 10.  
καὶ εὐθέως ἀναβάνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδε ἠιζομένους τὰς οὐρανοῦ, καὶ  
τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερᾶν, καταβαίνον ἐπ' αὐτῶν. Et apud Lucam  
Cap.

Cap. III, 21. 22. Ἐγένετό δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαόν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου ἀνεωχθῆναι τὸν θρανόν, καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σαματικῶς εἶδει ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. Jungendus hisce omnibus locus Johannis Evangelistæ, qui testimonium Johannis Baptistæ de Christo, quod utique hanc historiam respicit, ita recenset. Cap. I, 32. 33. 34. Καὶ ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης λέγων, ὅτι τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ θρανῶ καὶ ἐμείνεν ἐπ' αὐτόν. Καγὼ ἐκ ἤδων αὐτόν ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν. Ἐφ' ὃν ἀν' ἴδης τὸ πνεῦμα καταβαῖνον, καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, ἔτ' ἐστὶν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Καγὼ ἑώρακα, καὶ μεμαρτύρηκα ὅτι ἔτ' ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

§. III.

Harmonica hæc Evangelistarum, de Spiritus S. apparitione & descensu in Christum recens baptizatum & ad Jordanem stantem, narratio, omnem omnino dubitationem hęc excludit, quasi res sit aliter gesta: Revera enim Spiritum S. apparuisse & descendisse, omnes uno testantur ore; Parum ergò moramur impietatem CELSI Philosophi, qui hanc apparitionem ceu commentitiam traducens, Judæum quendam sic JESUM alloquentem introducebat apud ORIGENEM lib. I. contra Celsum p. 31. Edit. Spencerianæ Cantabr. Anno 1677. *Lavanti tibi apud Jordanem alitis Speciem dicis ex aethere avolasse: Quis hanc vidit Speciem testis, qui fide dignus sit? Quis audivit vocem de caelo adoptantem te DEO filium? præter te unum & alterum quempiam ex sociis?* Facta sanè hæc est apparitio non in occulto aliquo angulo, sed in publico loco præsentibus ad Jordanem, ubi baptizabat Johannes, ut innuit Lucas cap. III, 21. Provocabat ad illam apparitionem Johannes Baptista, & testabatur de hac apparitione coram omni Populo, Joh. I, 34. Dicit sibi signum hoc divinitus datum, ex quo Agnum DEI agnosceret: *Et ego vidi, inquit, & refuscatus sum, Hunc esse filium DEI.* Regerit hinc haud immeritò ORIGENES, sapientissimum (scil. ex propria opinione) CELSUM non animadvertisse, affingere hæc verba Judæo, qui multa credit in Prophetiis literis incredibilia, quam sit hæc columbinæ speciei visio. *Facile enim, inquit, aliquis dixerit Judæo, difficilem se præbenti ad credendam vi-*

6  
sionem & pro figmento habenti: Tu verò, bone vir, unde mihi potes ostendere historiam similem Ezechielis veram esse, cum ipse Ezechiel tuus scribit: Et aperti sunt caeli, & vidi visionem DEI. Unde scis eum verè hæc vidisse, ab ipso solo visa & audita; Item quod Esaias dicit: Vidi Dominum Zebaoth sedentem super thronum &c. Credis his Judæe ut indubitatis, & à divino Spiritu proditis? eaque Prophetam non vidisse solum, sed & verè dixisse & mandasse literis. Quis igitur fide dignior, Ezechielne, dicens sibi apertos esse cælos vocemq; se audivisse: Vel Esaias scribens, visum à se Dominum Sabaoth in throno sedentem excelsò & elevato: An JESUS? Illorum certè nullum simile opus reperitur: JESU verò virtutes non eò tantum tempore viguerunt, quò in corpore versatus est in terris; Sed nunc quoque ejus potentia est efficax ad convertendos & corrigendos, quotquot DEO credunt per illum. Sic Judæo dicit pudorem incuti. Provocat Origenes ad retorsionem, quâ aliàs erga Judæos fuerit usus: Scil. requirendo ab ipsis: Cur Mosi de se ipso incredibilia & humanam naturam superantia scribenti credant, quod vera narret, quamvis Ægyptii eum ut Magum & præstigiatorum calumnientur; & JESU tamen non credant, qui nullum de se ipso scriptum reliquit, sed discipulorum suorum in Evangelio habet testimonium? Quique ad ipsius Mosi & Prophetarum de Christo testimonium provocant. Ad Celsum reversus, veritatem hujus apparitionis sic demonstrat: Significatum arbitror Spiritum S. per Columba speciem, idque colligo ex miraculis JESU quibus Celsus fruit calumniam: Nec ex iis solis sumam argumentum, verum etiam, ut par est, ex his, que paraverunt JESU Apostoli. Non enim illi sine virtutibus & miraculis movissent auditores nova doctrine, ut relicti instituti patrii reciperent eorum doctrinam, receptam usque ad mortem tuerentur contemptis omnibus periculis. Quin & hodiè vestigia Spiritus illius S., qui Columba specie apparuit, servantur apud Christianos: Excantant Dæmonia, multas sanationes perficiunt, prævident voluntate DEI futura. Irrideat licet Celsus, quod dicitur, aut introductus ab eo Judæus, dicitur tamen -- Et quoniam Judæus est is, qui in dubium revocat, quod de Spiritu S. in JESUM specie Columba delapsò scriptum est meritò diceretur ei: Heus tu! Quis apud Esaiam sic loquitur: Nunc misit &c. Es. XLVIII, 16.

s. IV.

§. IV.

Præterea in aprico positum est per **SPIRITUM**, qui hîc dicitur descendisse & venisse super Christum indicari tertiam Trinitatis Personam, quæ cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Dicitur enim à Matthæo *Spiritus DEI*, à Marco & Johanne absolute *Spiritus*, à Luca *Spiritus S.*, ut sic hîc cesset omnis homonymia vocis Spiritus, quam annotavit post **CHEMNITIUM B. GERHARDUS** in Loco de Spiritu S. Idem liquidò ex loco, unde descendisse dicitur scilicet *calo aperto* (Cantabrig. enim Codex h. l. apud Matth. nec non Lucam habet *κατακάνοντα ἐκ τῆ θρανῆ*, observante laudato **MILLIO** in Not. ad exprimendam, ut hariolatur ipse, Spiritus S. Personalitatem) nec non ex majesticata apparitione in peculiari forma, colligitur. Equidem **CERINTHUS** *σύν-χρονος* Joh. Evangelistæ, ipsum Christum figura Columbæ descendisse in Jesum Mariæ & Joseph Filium aliquando deliravit, referentibus **IRENÆO** lib. I. cap. 25. & III, 17. nec non **EPHIANIO** hæres. XXVIII. Distinxit enim Jesum à Christo: Jesum “ non ex Virgine, sed ex Conjuge Josephi natum ut reliqui homines, & plus potuisse justitia, prudentia & sapientia præ omnibus: “ Post baptismum autem descendisse in eum Christum ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura Columbæ, & tunc annunciasse incognitum Patrem & virtutes perfecisse. In fine iterum “ revolasse Christum de Jesu, & Jesum passum esse & resurrexisse, “ Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem. “ Sic Irenæus l. c. Huic ineptæ hypothese favere videtur Evangelium secundum Hebræos sive Nazaræorum, quò utebantur Ebionitæ, qui cum Cerinthianis faciebant, de quibus vid. **D. CASPAR. SAGITTARII** Introduct. in Histor. Ecclesiast. cap. 33. Sect. 28. p. 940. quod verba textus nostri, *καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τῆ θεῆ κατακάνον, sic reddidit: καὶ ἐνθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον Φῶς μέγα*, notante **MILLIO** in notis ad hunc locum, ubi dicit, hæc quoque occurrere in liturgia Syrorum in hujus historię narratione circa baptismum, & apud Justinum Martyrem, qui ex hoc Evangelio memorat: *Ignem eodem hoc tempore in Jordane apparuisse.* In Appendice verò ad notas laudatus **MILLIUS** ex eodem Evangelio Epiphanium

phanium hæc ita recensere observat: Ἐν εἰδεί περιεργᾶς καταλθῆσης  
 ἡ εἰσαλθῆσης εἰς αὐτόν. Et integrum locum hujus Evangelii Na-  
 zaræorum, ut eum excerpfit HIERONYMUS in Cap. II.  
 Elaiæ sic habere testatur: *Factum est autem, cum ascendisset Dominus  
 de aqua, descendit fons omnis Spiritus S., & requievit super illum, &  
 dixit illi: Fili mi, in omnibus Prophetis expectabam te, ut venires,  
 & requiescerem in Te. Tu enim es requies mea, tu es Filius meus  
 primogenitus, qui regnas in sempiternum.* Sed quis non manibus pal-  
 pet hæc commenta & mendacia malitiam & blasphemiam Judaicam  
 superantia. Pseudo-Apostolos illos Semi-Judæos, qui Christia-  
 nismum miscebant cum Judaismo, objurgarunt pasfius Apostoli,  
 maximè Johannes, qui iisdem suum Evangelium opposuit, & in  
 Epistola I. cap. IV, 3. *Omnis spiritus, inquit, qui solvit Jesum, ὁ λύει  
 τὸν Ἰησοῦν* ( Sic enim legebant Codices quidam antiqui teste SO-  
 CRATE Lib. VII. Hist. E. cap. 32. & plurimi PP., quos citat  
 laud. MILLIUS Not. in h. l. quanquam ipse hodiernam le-  
 ctionem ὁ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστόν, ut magis genuinam præ-  
 ferat & suspicetur ex odio hæreseos hujus hoc Scholion in textu  
 additum, postea in ipsos Codices Græcos irrepfisse & Latinos, ex  
 quibus PP. sua deprompserunt) *ex DEO non est, & hic est Anti-  
 Christi.*

*Impia Cerinthus sancto convicia Christo.*

*Dum facit & stultâ garrulitate furit,*

*Concidit & rapido blasphemum contudit ictu,*

*Collapse subito facta ruina domus inde canit STIGELIUS.*

Sicque mendaciï hujus de baptismo JESU in subita ruina balnei op-  
 pressus, poenas justas luit, & à spiritu maligno abreptus, cui os im-  
 pium commodaverat. De Evangelio verò, quò utebantur Ebionæi,  
 & ex quo EPIPHANIUS commenta illa narrat, quæ circa  
 baptismum Christi dicuntur contigisse, *Vide, inquit, quàm sit eo-  
 rum undequaque depravata doctrina, quàm claudicantia distorque  
 sint omnia, nec recti quicquam conincant. Cerinthus enim & Carpo-  
 crates eodem Matthæi, ut quidem volunt Evangelio frefi, ex ejus initio  
 Christique Genealogia probare conantur, Christum è Josephi & Maria se-  
 mine esse procreatum; Illi ( scilicet Ebionæi) contra aliud omnino sta-  
 tuunt.*

9  
tuunt. Nam omni illa genealogiâ amputatâ inde initium deducunt:  
Factum est in diebus Herodis &c. ut venires quidam Johannes nomine  
baptizans &c. Quandoquidem Jesum, ut diximus, merum hominem  
esse putant, in eoque resedisse Christum, qui Columba specie sit illapsus,  
cum eoque conjunctus, id quod aliis Hæresibus insuper placuisse reperio.  
Ita Jesum ipsum esse Christum ex utriusque Parentis semine progenerum.  
Rursum verò non hominem esse Christum, ex hoc ejus responso colligunt:  
Quæ est mater mea? &c. Matth. XII. Hinc ille prestigiis instructus  
Ebion varias se in larvas atque effigies deformat: Ut ex eis, quæ initio  
dicta sunt, tetrum & horribile quoddam esse monstrum appareat. Hæres.  
XXX. lib. I. Tom. II. p. m. 138. 139.

s. V.

Species verò, in quâ Spiritus S. apparuit & descendit in  
Christum confestim post baptismum, accuratiùs lustranda erit, quia  
de ea & ipsorum Orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum varia videtur  
fuisse sententia. Initio quidem adfuisse Columbam negari haud  
potest. Vocatur enim id, in quò suam præsentiam Spiritus S. ma-  
nifestavit ΠΕΡΙΣΤΕΡΑ ita Græcis dicta, vel à valido ac la-  
borioso volatu, quasi ἀπὸ τῆ πέτεσθαι τερρῶς. Omnes scil. aves,  
cum inter volandum defatigatæ sunt, in arbore aut rupe quadam  
solent quiescere, Columba verò unam alam per vices claudens &  
altera volitans, indefessè volitat, nec facile capi potest: Vel παρὰ  
τὸ περισσῶς ἐγᾶν. Κύβων γὰρ ἀλλήλας, ut Aristoteles loquitur. Vid.  
Lex. Paforis p. m. 547. Latinis dicitur Columba, à culminibus ædi-  
ficiorum, quibus ut aves domesticæ insidere & in quibus nidificare  
solent; quanquam hæc potius allusio, quàm vera originitio sit.  
Eadem enim videtur esse ejus origo ac vocis Palumbis, quæ est syl-  
vestris, & in arboribus & sepibus nidificare solet, scilicet ignota.  
Respondet voci Græcæ Hebraicum תנ"ך, unde nomen accepit Pro-  
pheta JONAS: Num ita à תנ"ך, quod opprimere significat, quasi  
omnium prædæ pateat, an verò à תנ"ך οὐνός vino aut mustulento nitore  
five vini colore, an verò à Javan sive Jönia, i. e. Græcia, ubi Columbæ  
frequentissimæ erant, dicta fuerit, vide BECMANNUM de  
Origin. Ling. Latin. p. m. 827. & BOCHARTUM in Hierozoico,  
Part. II. lib. I. cap. I. Qui etiam de variis Columbarum speciebus,

B

de

de earum pennis, collo, oculis, gemitu & volatu, proprietatibus & virtutibus ex profefsò tractavit, & loca SS. de iisdem, nec non de usu earundem in Sacrificiis à DEO ordinatis in cultu Levitico præclarè illustravit. Hæc enim parum videntur facere ad nostrum|propositum, quibus sufficit scire, quod adfuerit ΠΕΡΙΣΤΕΡΑ sive Columba, qualiscunque fuerit speciei sive coloris. *Turturem* quidem, quæ præstantissima in hoc genere est, quamque sub hoc nomine insinuari, & Spiritum S. denotare, Cant. II, 12. Chaldæus Paraphrastes ad h. l. credit, ut observat Bochartus c. l. cap. 6. circa fin. hanc avem fuisse, non incongruè dici posset: Verùm cum illa proprium habeat nomen græcum, quò τεργων dicitur, præstat literæ textûs, in quo generali περιστερᾶς nomine dicitur, inhærere. Cum verò Evangelistæ non dicant Columbam descendisse, sed SPIRITUM DEI ὡσεὶ, vel ut alii Codicēs habent ὡς, de quibus vid. MILLIUM, περιστερᾶν, sicut, tanquam, quasi, ut Vulgatus ludit hisce particulis, Columbam, & Lucas notanter addat σωματικῶ εἶδει, corporali specie, quod Syrus interpretatur כדור גושאן in similitudine corporea Columbe nec aliter Æthiops & Arabs: Inde divortium sententiarum tum inter antiquos PP., tum recentiores, fueritne vera Columba, an verò Φάσμα ὀρνιθῶν, χῆμα περιστερᾶς, ut loquuntur, sive phantasma aut species aliqua objecta oculis Spectatorum.

S. VI.

Qui inter Veteres hanc Columbam pro imaginaria habuerunt, magnò adducuntur numerò apud BOCHARTUM in Hierozoico Part. II. lib. I. cap. 7. p. m. 36. & SVICERUM in Thesauro Philologico Tomo II. voce περιστερᾶ p. m. 690. JUSTINUS M. in Dialogo cum Tryphone τὸ ἐπελθόντῳ ἐν εἶδει περιστερᾶς πνεύματῳ Spiritus in specie Columbe supervenientis meminit. IRENÆUS Lib. III. contra Hæres. cap. 19. Dixerunt Spiritum DEI sicut Columbam descendisse in eum, inquit. ORIGENES in Lucam ait Serm. XXVII. Descendit Spiritus S. super Salvatorem in specie Columbe. Sic & HILARIUS Canone II. in Matth. & CHRYSOSTOMUS passim in homiliis. THEODORETUS in Cap. VIII. Cantici. SEDULIUS Carm. lib. 2. ISIDORUS PELUSOITA Epist. CVI. lib. I. citati à laudatis Autoribus, qui omnes dicunt, quod



quod Spiritus S. ἐν εἰδει in specie Columbe apparuit. Disertius verò pro imaginaria apparitione stant ex citatis ibidem EPIPHANIUS adversus SABELLIANOS hæc. LXII. inquires: Ἐν εἰδει περιεργᾶς Χηματίζεταί, ad Columbe effigiem se efformavit. NONNUS, qui in Paraphrasi in Joh. I. v. 3 2. eam vocat ἀντίτυπον μίμημα πελείαδος expressam imaginem Columbe. JUVENCUS Evang. Hist. lib. I.

*Corporeamque gerens speciem, descendit ab alto*

*Spiritus, æream simulans ex nube Columbam.*

CYRILLUS in Catena in cap. I. Joh. dicit Spiritum S. descendisse super Christum ἐν τῷ τῆς περιεργᾶς χηματισμῷ, in Columbe specie.

THEODORUS MOPSVESTENUS ibidem insulsum esse dicit, quod quidam inferant Spiritum S. esse infra Christum, quam Columba est infra hominem, quia apparitio non fuerit ejus, quod natum erat, ἀλλὰ τὸ φάνομενον quod videbatur. PROCÓPIUS

GAZÆUS in Gen. XVIII. Spiritus S., inquit, in nostrum conspectum venit in specie columbe, nec tamen erat columba, quia non eam, quam columba, habebat proprietatem. Nec prætereundus est AUTOR LIBRI DE SACRAMENTIS sub AMBROSII nomine edit. Lib. I. cap. 5. Et ecce! quasi columba Spiritus S. descendit, non columba descendit, sed quasi Columba -- Non in veritate columba, sed in specie columbe, descendit de celo.

§. VII.

Vicissim veram non imaginariam hanc fuisse Columbam ex antiquis duo Celeberrimi Autores propugnant. TERTULLIANUS, qui lib. de Carne Christi cap. III. p. 554. de Spiritu in Christum descendente sic scribit: *Tam verè erat columba, quàm & Spiritus: Nec interfecerat (BOCHARTUS mavult legerè intercepta) substantiam propriam assumpta substantia extranea.* Et AUGUSTINUS lib. de Agone Christiano (quem verum Augustini librum esse laudatus Bochartus putat liquere, partim ex stylo, partim ex POS-SIDII Indiculo & ipso Augustino lib. 2. Retract. cap. 3. pro suo agnoscante, etsi aliter videatur PAMELIO): Ita autem ille citato lib. cap. 23. Christi corpus cum corpore hujus columbe conferens: *Neque hoc ita dicimus, scribit, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse. Spiritum autem S. fallaciter apparuisse*

12  
hominum oculis: Sed ambo illa corpora vera corpora esse credimus. Sicuti enim non oportebat, ut homines falleret Filius DEI; Sic non decebat, ut homines falleret Spiritus S., sed Omnipotenti DEO, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile, verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare: Sicut ei non fuit difficile verum corpus in uero Mariae sine virili semine fabricare. Quanquam ad haec testimonia SVICERUS post BOCHARTUM excipiat, eò dilapsum fuisse utrumque & TERTULLIANUM & AUGUSTINUM ἐκ τῆς τῆς ἀνθρώπου ἀμετρίαι, (quod saepè accidit,) in disputatione adversus eos, qui Christi corpus tantum imaginarium esse dicebant. Cumq; fortè sufficisset asserere veritatem corporis Christi, illi eò dilapsi fuerint, ut etiam hoc φάσμα ὀφειδῶ, pro vera habuerint columba: Rectiùs verò eisdem sensisse & locutos fuisse extra aetum disputationis. Nam in Tertulliani libro de Baptismo cap. VIII. p. 389. legi: Spiritus S. Columbae figura delapsus in Dominum: Et apud AUGUSTINUM Epist. CII. ad Evodium hanc columbam dici sola specie corporalis oculis redditam, non naturam viventis animalis expressam. Et lib. II. de Trinit. cap. 5. In ipsum Dominum Spiritum S. corporali specie, velut columbam descendisse. Nihilominus Augustinum in priori loco sequitur THOMAS in summa Theol. parte III. qu. 39. Artic. 7. Quin omnes fere Scholasticos Theologos idem sentire scribit SIXTUS SENENSIS Biblioth. S. lib. VI. Annot. XIII. Laudat & Augustini sententiam ex lib. II. de Trinit. cap. 6. & de Agone Christi. cap. 22. NATALIS ALEXANDER in Expos. Liter. & Morali IV. Evang. ad h. l. SALMERO quoque, postquam utramque ventilasset sententiam, praestat, dicit, asserere cum Patribus, illam veram fuisse columbam, & citat hanc in rem August. locum de Agone Christi. Tom. IV. Oper. Part. I. Tract. VII. p. m. 71.

#### §. VIII.

Quaelibet earum sententiarum nititur suis rationibus, quas ALPH. SALMERO l. cit. & FRID. SPANHEMIUS Dub. Evang. Dub. XLVI. p. 171. & seqq. diligentissimè exposuerunt. Prioris sententiae, utpote negativae Autores & Sectatores provocant ad textum Evangelistarum, ubi nota similitudinis constanter deprehenditur.

henditur, quæ non aliam habeat significationem, quam Act. II, 3.  
Ubi Spiritus S. dicitur apparuisse & sedisse super Apostolos in forma  
ignearum linguarum: *Et vise sunt illis dissecta lingue, velut ignea,*  
*ὡσεὶ πυρὸς, sedique super singulos eorum.* Non quod Spiritus S. re-  
vera esset ignita lingua dispersita, sed quod in hac similitudine ap-  
paruerit. Atque hinc dicunt, Lucam non dixisse Spiritum S. *σω-*  
*ματικῶς* descendisse, sed *σωματικῶν εἰδῶν*. Tum Columbam hanc  
non efficiendi, sed significandi causa cœlitus demissam, scil. ad de-  
signandam Spiritus S. præsentiam, ad quod sufficiebat *εὐφασίς* co-  
lumbæ: Sicut & in aliis visionibus non vera corpora, sed verorum  
corporum tantum species fuere. DEUM & naturam nihil facere  
frustrâ; Frustrâ verò videri hanc columbam de novo creatam, quæ  
ad hoc solum erat, ut signaret & præteriret, ut agnoscit AUGU-  
STINUS lib. 2. de Trinit. c. 5. Prætereâ sic evitari & præcidi  
varia perplexa fati & intricata dubia: Unde vel ex quibus Prin-  
cipiis conflata fuerit columba illa, an creatione immediatâ, an me-  
diatâ producta? quod fuerit principium motus illius, an intrinsecum  
vel extrinsecum? qualis finis, an resoluta fuerit in aliam materiam,  
an verò annihilata? & quæ sunt id genus alia. Qui affirmativam  
tuentur, urgent rationes Augustini, quod sicut Filius DEI homi-  
nes fallere non debuit, ita nec Spiritus S., cum vocetur *Spiritus ve-*  
*ritatis*. Ἄτοπον esse Spiritum S. per fictam columbam repræsentari  
non per veram, maximè cum hic attribuuntur Columbæ huic præ-  
dicata realia, *descendere, venire super Christum*, & quod Spiritus S.  
in hac apparitione suas proprietates designare voluerit, quæ in  
vera inveniuntur non in ficta columba. Neque, dicunt ex Augu-  
stino, difficultatem DEO majorem esse verum corpus columbæ  
formare, quàm fictitiam speciem oculis ingerere. Addunt, uti  
Apertio cœli & vox de cœlo sonans realis non imaginaria fuit, ita  
etiam de columba statuendum est: Secus hic varias illusiones ocu-  
lorum, qui columbam videbant, vel nova miracula esse fingenda.  
Rationibus verò alterius sententiæ hæc opponunt. Ad primam  
eorum rationem respondent, peccari *παρασκευαία* phariseos Matthæi  
& aliorum Evangelistarum. Nam particulam *ὡσεὶ* sive *ὡς*, æquè  
ac ὡς Hebræorum cui respondet, non semper designare solam *ὁμοίωσιν*

84  
 five similitudinem : Sed sæpè esse ἀληθινὰς καὶ θεϊκὰς, ut Dan.  
 VII, 13. Luc. XXII, 44. Joh. I, 14. Phil. II, 22. Ἐἰδῶ verò interdum  
 quidem contradistingvi rei veritati, interdum verò illam includere,  
 & in se complecti : Nec absurdum, vocari Columbam σωματικὸν εἶδῶ.  
 Syrum & alios interpretes voces græcas juxta literam expressisse,  
 adeoque phrasin eorundem ex Græco esse explicandam. Ad se-  
 cundam regerunt : Πετὶ τὸ ἐν ἀρχῇ, dum dicitur hîc de visione agi,  
 cum hæc historicè narrentur, quæ excludat apparentia : Suffecisse  
 speciem ad ἔμφασιν, sed non suffecisse ad subternendum solidum  
 fundamentum analogiæ, ductæ ad Spiritum S. à Proprietatibus &  
 effectis, quæ non apparenti, sed veræ columbæ competunt. Quare  
 etiam non frustranea hæc novi corporis formatio fuerit. Dubia  
 per accidens moveri & frustra, ab hominibus otiosis & temerariis,  
 in quorum gratiam ab ipsa revelata veritate non sit recedendum.  
 Sed nec defituuntur ab altera parte Responsonibus, quas ad hæc  
 exceptiones reponunt. AUGUSTINO, ut suprâ §. 7. indicavi-  
 mus, opponunt Augustinum rectius in aliis locis sentientem, & ad  
 rationes ejusdem sic regerit CORN. JANSENIUS Comm. in  
 „ Concord. Evang. Cap. 14. p. m. 118. Non est simile, de cor-  
 „ pore, in quo Christus apparuit & columba, in qua apparuit Spi-  
 „ ritus S. : Filius enim DEI sic in corpore humanò apparuit, ut  
 „ verè dicatur & sit homo. Spiritus S. verò non dictus est, nec  
 „ fuit columba. Neque per hoc Spiritus S. aliquem fefellit, quod  
 „ in apparenti & non in vera columba apparuit, quæ tamen à ple-  
 „ risque vera columba sit putata. Non enim fallit, qui sine in-  
 „ tentione fallendi aliquid dicit aut facit, ad quod aliquis sequitur  
 „ in alio error non perniciosus. Jam columbæ hujus apparitio non  
 „ ad hoc inducta est, quod homines crederent esse veram colum-  
 „ bam, sed quò per eam Spiritus præsentiam & proprietates cogno-  
 „ scerent. Sicut ergò in die Pentecostes Spiritus S. dicitur descen-  
 „ disse super Apostolos tanquam ignis, cum tamen secundum pro-  
 „ prietates non esset verus ignis, sed ignis similitudo, nec ob id  
 „ fallaciâ vel fictione usus est Spiritus DEI : Ita & nunc veluti co-  
 „ lumba descendisse dicitur, quod non in vera columba, sed in simi-  
 „ litudine ejus apparuit, nullam tamen falsitatem admittens. H. I.

Ad

*Ad verum signum nequaquam requiritur res vera: sed que inducat ad significatum rei verae, inquit SALMERO l. c. Nulla deceptioni occasio: verba sunt SPANHEMII l. c. Nec enim columba illa demissa, ut crederetur vera, sed ut adumbraretur objectum aliud. Nec fallitur quicumque speciem rei alicujus, qualem reverà oculis ingerit, contuetur. Sic enim Prophetæ fuissent decepti in visionibus suis, in quibus species duntaxat rerum contuebantur: Etsi enim in eo Spectator falli possit, quod illud *Φανόμορον* corpus putet, quod tale non est, error tamen ille est accidentarius & levis, nec præjudicat vel videnti, vel visioni, vel fini visionis, ob quem objecta species est; Imò ideò objecta species hujus vel illius corporis, ut tale concipiatur. H. I. Cui respondet Canon ille, quem HACSPANIUS in Not. Philolog. part. I. p. m. 874. habet: *In visione censetur non adesse ipsa res, sed ejus species, ea tamen lege, ut veritati subjecti, quæ per speciem exhibetur, inde nihil decedat.* Denique non esse quæstionem, dicunt, quid DEUS possit efficere, sed quid reverà fecerit, nec requiri hic nova miracula, qualia in apertione Cœli & voce in aère formata evenerunt: Speciem enim unam Columbæ omnium spectantium oculis se ingerere potuisse, & sui imaginem diffundere.*

§. IX.

Quid ergò in hoc sententiarum, quarum quælibet suis nititur probabilibus rationibus, divortio statuendum erit? Media fortè, quæ plerumque tutissima solet esse, arripienda eorum, qui existimant utique non Phantasma sive speciem aliquam Columbæ in oculis vel mentibus Spectatorum, ut fieri solet in Visionibus, fuisse expressam ac repræsentatam, sed reverà aliquod visibile apparuisse corpus, quod etsi non naturalis esset Columba, speciem tamen sive formam Columbæ habuerit. Neque enim *τὸ ἄσπρον* aut *ὡς* necessariò referendum ad Columbam, quasi illa non habuerit formam Columbæ, sed ad SPIRITUM S., qui reverà non fuit Columba, sed se solùm manifestavit ut Columba, vel in Columbæ specie. Et si vel maximè hæc particula ad Columbam respiceret, nihil aliud tamen indicari verisimile videtur, quàm quod illud corpus non vera sive naturalis & in columbario educata, sed à DEO ad hunc actum singulariter

pro-

producta Columba fuerit. Nec aliud Lucas insinuare voluit, cum dicit Spiritum S. descendisse *σωματικῶ εἶδει, ὡσεὶ περιεβράν*, nisi quod Spiritus S. non inclusus fuerit Columbæ, aut cum illa hypostaticè unitus. Certè hæc Columba ordinario motu descendit de cœlo, Joh. I. v. 32. visa est ab adstantibus super Christo, Ib. v. 32. 33. & mansit, quamdiu placuit, scilicet in visibili illa forma, Ib. v. 33. Idem liquet ex aliis Evangelistis, qui hanc visibilem apparitionem historicè narrant: Non ergò dici potest nudum *Φάσμα*, sed verum *σωματικὸν εἶδος*, uti vocatur à Luca; quod tamen non fuerit naturalis & vulgaris Columba, sed *ὡσεὶ περιεβράς*, tanquam Columba, id est, quæ formam & motum & alia Columbæ propria habuerit. Scilicet sicut Angeli aliquando in V. T. etiam in Novo in specie sive forma humana apparuerunt, certè non semper in Visionibus, sed conversando in visibili hominis forma cum hominibus, e.g. Abrahamo, Gen. XVIII. Lotho, Gen. XIX. Gideoni, Jud. VI. 12. 13. & seqq. Davidi, 2. Samuel. XXIII. Pastoribus, Luc. II. Apostolis, Act. I. etsi verum & naturale corpus non habuerint, sed ad tempus solum sibi appropriarint: Ad eum modum placuit Spiritui S. suam præsentiam in visibili hæc Columbæ specie præsentare & manifestare. Non uno modo se DEUS manifestavit hominibus, sed *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως*, Hebr. I, 1. Atque hinc variæ species Revelationis observantur. Juxta D. JOACHIM. HILDEBRANDUM acutissimum Theologum Theol. Dogm. cap. 2. Sect. I. §. 4. alia est *mentalis* immediatè facta intellectui, e. g. Paulo in cœlum raptò, II. Cor. XII, 2. Apostolis varias lingvas subito edoctis, Act. II, 4. Beatis in cœlo, quorum intellectui DEUS intimè præfens erit. Alia *Imaginaria* per phantasmata, qualis fit vel Dormientibus per somnia, Gen. XXVIII, 12. XLI, 1. Dan. II. & IV. Matth. I, 20. vel vigilantibus per ecstases, quales visiones inveniuntur apud Ezechielem & in Apocalypsi. It. Act. VII, 55. X, 10. Alia *sensibilis* per Urim & Thumim, Sortes, Voces, Homines *θεοπνεύστως*, qualisque per Filium, per quem locutus est DEUS ultimò Ebr. I, 2. facta. Alii ex Judæis & Christianis aliter hosce modos recensent, qui videantur in Dissertatione Theol. Max. Reverend. & Excellentiss. Da. D. JOH. ERNESTI SEGER S<sup>3</sup>  
sub

sub Præsidio Excellentiss. Dn. Præsidis habita, An. 1702. *de Revelatione divina ejusdemq. variis speciebus, §. V. p. 19. & seqq. Qui §. VII. & seqq.* Species revelationis ita partitur, ut alia facta fuerit *per signa externa extra homines constituta illisque objecta*, quam *sensibilem* vulgò vocant, quæ quidem pro triplici genere signorum vel oculos, vel aures, vel oculos & aures simul afficientium iterum triplex existit. Quarum prima est, quando DEUS aut Angelus in specie externa humana, vel etiam in alia quadam forma seu figura visibili se præbuit conspiciendum, aut suâ voluntatem aut quid futurum sit, hominibus patefecit. Illius exemplum adducit ex Gen. XVIII, 12. Jos. V, 13. 14. hujus columnam nubis & ignis, Exod. XIII, 21. 22. nec non umbram in Solariò retrogredientem, 2. Reg. XX, 8. Manum scribentem in pariete, Daniel. V, 5. & seqq. Ad hoc revelationis genus refert quoque tabulas Legis digito DEI scriptas, Exod. XXXI, 18. Sortes divinatorias adhibitas, Jos. VII, 14. XIII. XIV. 1. Sam. X, 20. Act. I, 24. Nec non Revelat. quæ fiebat per Urim & Thumim, Num. XXVII, 18. 1. Sam. XXIII, 9. XXX, 7. 8. Aut, *quando sine objectis externis visibilibus vox aliqua audita fuit de celo*, Gen. XXII, 11. *aut de Propitiatorio in templo*, Num. VII, 89. 1. Sam. III, 10. Vid. Joh. XII, 28. Matth. XVII, 5. & hic in Baptismo Christi. Aut, *quando & oculis objecta fuit species externa & aures simul audiverunt vocem*, ut cum Moses cum Jehova de medio ardentis rubi locutus est, Exod. III, 2. aut Eliæ in flamma ignis, ac ventu unâ cum voce se DEUS manifestavit, 1. Reg. XIX, 11. Cujusmodi apparitiones frequenter contigerunt Patriarchis & Gideoni, Jud. VI, 11. Uxori Manoë, Jud. XIII, 3. Davidi, 1. Chron. II, 16. Danieli, Dan. VIII, 15. & seqq. Zachariæ, Luc. I, 1. B. Mariæ, Luc. I, 26. Apostolis incarceratis, Act. V, 19. 20. Philippo, Act. VIII, 26. Johanni in Apocalypsi, Cap. I. & seqq. Alteram Speciem revelationis dicit esse *illam, quæ contigit per signa interna sive simulachra sensibilia, impressa phantasia seu sensibus internis*. Quando sive dormienti, sive vigilanti *figure quadam mysticum quid significantes & ænigmaticum* repræsentatæ fuerunt, cujus declarationem vel statim, vel potestea accepit Propheta; quibus plenæ sunt Prophetiæ Ezechielis, Danielis, Zachariæ, & Apocalypsis Johannis. Vel *clarè & distinctè sine Parabola aut Ænigmate*, ita tamen ut revelans

C

non

non agnoscatur, cujus exemplum sistit ex 1. Sam. III, 4. 7. Act. XII, 8. 9. Vel ut ille cui revelatio fit, audiat, videat ac cognoscat cum loquentem & clarè atque intelligibiliter sensa mentis suæ proponentem ac exponentem. Qualis facta fuit Jacobo, Gen. XXXI, 13. Michæ, 1. Reg. XXII, 19. Esaïæ Cap. VI, 1-15. Ezechieli, cap. XL, 2. Petro, Act. X, 9. & seqq. cujusmodi patefactio plerumque nomine *Visionis* venire solet. Tertiam & ultimam laud. Vir Excell. dicit *eam, qua fit per formas vel species prorsus intelligibiles, cum non exteriore solùm, sed & interiores sensus excluduntur, DEO elevante intellectum seu novò lumine, eoque supernaturali, eum excitante atque collustrante ad cognoscendum ea, que aliàs cognoscere haud potuisset.* Qualis aliquando sine raptu aut Ecstasi fit, aliquando cum Ecstasi sive privatione vel suspensione omnimodæ exercitii facultatis & sensitivæ & loco - motivæ. *Vid. fufus laudata Dissert. à §. VII. ad XIV.* In aprico verò positum est, quod hæc Revelatio, quæ hîc circa Baptismum Christi memoratur, facta, *neque ad Imaginariam, neque ad Mentalem, sed ad Sensibilem, quæ facta est per signa externa in oculos & aures cadentes fuerit facta.* Sicut enim vox Patris auditur de cælo: *Hic est Filius meus &c.* Ita & columba de cælo descendens visa fuit.

## §. X.

Hanc quoque fuisse sententiam plurimorum ex Venerando Ecclesiæ antiquæ Antistitum supra §. 6. citat. ordine, existimamus. Cum enim dicunt Spiritus S. *in columba specie apparuisse*, non inanem & imaginariam speciem, sed veram & realem speciem intelligunt. Sic enim inter illos HIERONYMUS Lib. I. Comm. in Matth. Tom. VI. Oper. *Sedit, dicit, columba super caput Christi, ne quis putaret vocem Patris ad Johannem factam, non ad Dominum.* HILARIUS Can. II. in Matth. *Spiritus S. inquit, emittitur, & specie columba visibilis agnoscitur.* CHRYSOSTOMUS Homil. XII. in Matth. *Christus quidem in natura nostra: sed Spiritus S. èν ἰψῆι περιεσῆς ἐφάνη, in columba visu apparuit. Hominis quidem naturam suscepit Filius DEI, sed columba naturam non suscepit Spiritus, proinde non dixit Evangelista ὅτι ἐν φῶσει περιεσῆς ἀδδ' èν εἶδει περιεσῆς, eum in natura columba, sed in specie columba, (scil. fuisse aut descendisse.)*

*Neque*



Neque postmodum in ea specie apparuit, sed tunc solum. Chryso-  
 stomum sequuntur THEOPHYLACTUS, EUTHYMIUS & alii.  
 Sic optimè concordant hi cum Augustino tum in locis supra citatis,  
 tum in libro de Mirabilibus Scripturæ sub Augustini nomine lib. III.  
 cap. 5. ubi sic habet: *Quamvis verò corporali specie Spiritus S. super  
 Dominum descendere dicitur, non tamen de avibus sumpsisse colum-  
 bam, sed ex aëre minimè dubitatur.* In hanc sententiam B. LU-  
 THERUS variis in locis præclare scribit. In Exposit. Epist. ad  
 Galatas, quæ exstat Tom. IV. Jen. Latin. & in Altenburg. Tom. VI.  
 in Cap. IV. p. 761. inter alia sic scribit: Der Heil. Geist ward im  
 Anfang der Christenheit in einer sichtbahren Gestalt gesandt/  
 Act. II. wie Er denn auch sichtbahrlieh am Jordan auf Christum  
 kam in einer Tauben Gestalt. Auf die Apostel aber und etliche  
 andere Gläubige in der Gestalt eines Feuers. Und das ist von  
 nöthen gewesen. Denn die Christenheit hat also durch öffentliche  
 Zeichen müssen besträtiget und befestiget werden umb der Ungläu-  
 bigen willen. Et in Concione de Baptismo Christi super Matth.  
 III, 13. VI. Tom. Jen. & Altenburg. VI. p. m. 446. So bald Chri-  
 stus aus dem Wasser tritt / thut sich der ganze Himmel auf / daß  
 die Göttliche Majestät herab kömmt und erscheinet / welches / ob  
 es gleich einfältig beschriben ist / so ist es doch freylich das grös-  
 seste Zeichen und die herrlichste Offenbahrung als je gehöret oder  
 gesehen worden. Denn hie erzeigt sich Gott selbst / nicht wie  
 den Vätern durch heimliche Offenbahrung / oder in fremder Ge-  
 stalt / als durch Engel / sondern persönlich und in seiner eigenen  
 Majestät und offenbahrlieh über den ganzen Himmel / daß kein  
 Dunkel noch Wolcken / sondern eitel Licht und heller Glanz ist:  
 Darzu nicht durch bloß Gesichte und stumme Zeichen / sondern mit  
 lebendiger Stimme und herrlicher Predigt / und alle drey Personen  
 der Gottheit / unterschiedlich in dreyerley Gestalt oder Bilde /  
 also / daß sich die Majestät ganz und gar ausgeschüttet und ge-  
 genwärtig dargestellet hat über die Tauffe Christi / damit ja ge-  
 waltig das Maul gestopffet ist den leidigen Geistern / so die Tauffe  
 verachten. Vid. Idem in Cap. I. Joh. Tom. Altenb. p. 1207. & seqq.  
 & Comm. in Genes. cap. IX. Tom. IX. Altenburg. p. 245. In cap.  
 C 2  
 verò

verò XVIII. p. 464. optimè se explicat, de hac apparitione loquens, & ex ea illustrans illam, quæ facta est Abrahæ in tribus viris. In der Tauffe Christi siehet Christus da als ein Mensch / es kömt dazu die Stimme des Vaters vom Himmel / und schwebet da auch die Taube über des H. Erren Christi Haupt. Solches sind unterschiedene Dinge / aber wer wolte darumb sagen / die Menschheit wäre die Gottheit / oder die Stimme wäre der Vater / oder die Taube der Heil. Geist. Das aber wird recht gesagt: Daß in dem Menschen Christo Gott / in der Taube der Heil. Geist / und in der Stimme der Vater sey. Und sind wir so grob und tölpisch nicht / daß wir sagen / daß ein äußerlich Bild oder leiblich Ding / das mit Augen gesehen und begriffen wird / Gott sey / denn wir wissen / daß die Dreyfaltigkeit unsichtbar ist. Alter MARTINUS, CHEMNITIUM puto, pariter in hanc sententiam inclinat, cum Augustini locum Epist. CII. laudat & addit: *Non agitur de articulo aliquo fidei: Modo presentia & unctio Spiritus in hac historia retineatur, quæ indicata & obignata est externa & visibili specie columbae.* Harm. Evang. cap. XVII. p. m. 178. *Quia visio Columbae non fuit imaginaria, sed corporalis, & auditio vocis fuit sensibilis, ideo merito litera insistimus, & calos reverà apertos dicimus.* Chemnitius l. c. Nec non Gerhardus loco de Spiritu S. Cap. III. §. 47. & in Notis ad Cap. III. Matth. edit. à filio Joh. Ernest. Gerardo Anno 1676. Lipf. & Jen. p. 189. *Dicendum (1.) videtur, quod non fuerit columba aliqua naturalis, id est, naturali modo ex aliis columbis genita. (2.) Quod tamen non fuerit tantum externa quedam columbae species sine corpore subjecto: Sed Spiritus S. divina sua virtute corpus, simile corpori columbae, ex elementari materia repente formavit, quò peractò ad quod & propter quod formatum fuit, officio, hoc est, peracta specialis presentiae significatione, in principia illa, ex quibus formatum fuit, reversum esse desit: Sic & alii ex nostris Theologis; Ex quibus duo citamus præclara nomina, D. GEORGIUM CALIXTUM, qui hanc in rem Concord. Evang. lib. II. cap. I. ita scribit: *Verisimile non est hoc corpus fuisse vivum animal, vel primum natum vel recens creatum, quin potius fuit corpus ad figuram columbae efformatum; sicut cum Angeli in specie sive forma humana appa-**

parens,

parent, neque homo, qui jam pridem natus sit, huic rei adhibetur, neque quicquam de novo creatur, sed corpus humano simile effigiatur, & tam diu conservatur sive sustentatur, quamdiu ejus usus est. Ad eundem modum placuit Spiritui S. presentiam & proprietates suas per speciem columbae ostendere & manifestare: Et AUGUST. VARENIUM Dissert. de Columba super capite Christi visa ad Matth. III, 16. in Thesauro Theol. Philol. Dissert. Elegant. ad N. T. loca edit. Amstelod. 1702. circa finem §. 26. Hæc præsens autem circa Jordanem patefactio, quia externis objecta fuit oculis veresimile baud quicquam est, DEUM Baptista aliorumque, qui aderant, oculos perstringere voluisse nudo & inani phantasmate. Et licet certò affirmari nequeat, naturalem aliquam talem fuisse columbam quales nostra: Corporeum tamen quid fuisse, quod sua quidem constiterit materia, plenè rejicere maximè dubitamus. Ex Reformatis citamus suprà laudatum SPANHEMIUM, qui in decisione hujus quæstionis ita scribit: *Quia non de visione hic agitur, sed de historia seu descriptione rei gestæ, verum & solidum corpus demissum videtur, quam apparet tantum. Adde analogia à columbae proprietatibus & efficientia à Spiritu S. ducta, verum potius corpus sustinendum, quam apparet duntaxat.* JOHANNEM HEIDEGGERUM in Corpore Doctr. Christian. Tom. II. loco XVIII. n. 12. p. m. 40. qui descensum hunc columbinum dicit, in quo Spiritus S. alitis, *instar alas suas vibrantis, in specie corporea columba se manifestaverit.* Ex Pontificiis CORNEL. à LAPIDE Comm. in Matth. III, 16. qui postquam utramq; sententiam proposuisset, & probabiliorē dixisset eam, quæ negat veram fuisse columbam, negat tamen eam fuisse phantasticam columbam, sed verum solidumque corpus formam columbae habens, fuisse asserit. SEB. BARRADAS quoque in Concor. Hist. Evang. Tom. II. lib. I. cap. 13. etsi veram & naturalem columbam fuisse neget: *Vera columbae tamen effigiem fuisse dicit, nec in hac apparitione fictionem aliquam admittere vult, p. m. 40.*

§. XI.

Cæterum, cur Spiritus S. tale medium apparitionis elegerit, non incongruè quæritur? Magnificentior fortè illa fuisset in forma Aquilæ, omnium avium Regis, cui DEUS alibi assimilari dignatus est, Deut. XXXII, 11, Exod. XIX, 4. quam & solam avium divinam  
 homi-

homines perhibent teste Aristotele lib. IX. Histor. Animal. cap. 32. Aut majorem splendorem & ornatum præ se tulisset species Pavonis, avis omnium formosissimæ, cujus alæ ob insignem coloris varietatem & splendorem *exultabundæ* dicuntur, Job. XXXIX, 16. Vel etiam majorem beneficentiam & pietatem præfigurasset Ciconia, quæ ob has virtutes, ei quasi proprias, nomen חסידה apud Hebræos fortita, & à Romanis *pia avis* vocata, juxta AMBROSIUM lib. V. Hexaëm. cap. 16. Verùm enim verò nullius sive harum sive cæterarum alitum formam sibi appropriare voluit, sed solius columbæ, etsi avis quoad externam faciem ignobilis esse videatur & infimæ ferè fortis. Num fortè hoc propterea factum, quod Columba apud Gentiles sacra esset avis? Nam Syri credebant Semiramidem in Columbam fuisse mutatam, eandem coluerunt, & Cuthæi sive Samaritani, de quibus Talmudistæ narrant, quod in monte Garizim coluerint Columbam, & infantes suos in nomine Columbæ circumdederint. Hæc enim partim incerta, partim in odium Samaritanorum à Judæis ficta esse liquidò ostendit SAMUEL BOCHARTUS Hieroz. Part. II. lib. I. cap. I. p. 7. & 8. De oraculo tamen Dodonæo DIONYSIUS HALICARNASSEUS Lib. I. Antiquit. Rom. cap. 14. & ante eum disertius HERODOTUS Lib. II. p. 109. referunt, quod Columba in sacra quercu sedens, ibidem oracula reddiderit & vaticinata sit, & quod tum Dodonæi, tum Ammonis oraculi originem Sacerdotes ad Columbas retulerint, & hæc de iis narraverint. Geminas Thebis Ægyptiis columbas nigras advolasse, unam quidem in Lybiam, alteram ad ipsos: Quæ fago insidens, humanâ voce elocuta sit, eò loci Jovis oraculum condi debere, & se interpretatos esse, quod ipsis annunciaretur, id esse divinitus, & ob id se ita fecisse. Eam verò, quæ ad Lybias abiit, columbam jusfisse illis, ut Ammonis oraculum conderent, quod & ipsum Jovis est. Quis verò non perferentis, imposturas hæc fuisse Dæmonis, quibus totum orbem fascinaverat: Qualis pessimo Impostori Mahomedi vulgò adscribi solet, quod scilicet columbam assvescerit, ut ad aures ipsius advolans, grana ibidem recondita legeret, ipse verò suis persvaserit Spiritum S. hanc esse columbam divinam, à quâ arcana Alcorani sui disceret: Quamquam

23  
quam id ex Scriptoribus Arabicis nullo documento probari potest;  
Et HUGO GROTIUS, qui Libr. de Verit. Religion. Christian.  
hæc narraverat, à POCOCKIO interrogatus, unde hæc haberet,  
ingenuè fassus est, se ex Scaligeri notis ad Manilium hæc hausisse, ut  
refert POCOCKIUS ad Abul-Faragium p. 186. Simile quid  
laudatus SCALIGER l. c. ex Samaritanorum Chronico de Josua  
refert, Duce Populi DEI, quod iidem ei tribuerint Columbam mi-  
nistram, per quam divina fuerit edoctus. De Columbæ internun-  
ciis antiquis & recentioribus varia annotavit memoratus D. AUG.  
VARENIUS *Diff. citat.* §. 8. Imprimis ibidem per יוני הרדסיר,  
quarum fit mentio in Talmude & quas Rabbi Moses Ben Maimon &  
Bartenora à nomine Herodæ dictas volunt, quia ipse edocuerit Co-  
lumbam sibi acclamare קרי קרי, Κύριε, κύριε; (addentes hanc fabu-  
lam, unam scilicet illarum aliquando pro קרי קרי exclamavisse  
כרי קרי, Dominus est servus, & hac de causa fuisse jugulatam,) non  
uti DRUSIUS putavit ad Matth. XXII, 16. *Græcos* pro יוני אויני  
legens: יוני vel יוני sed utique Herodianos scilicet intelligi,  
defendit. Sed hoc ὡς ἐν παραβολῇ. Nihil enim hæc attinent Spiritum  
S. & apparitionem ejusdem in specie columbæ. Quis enim cre-  
deret Spiritum S. in electione ejus se accommodare voluisse Mo-  
ribus sive potius Opinionibus Gentium & Samaritanorum (quæ aliàs  
est Spenceri de Institutis & Ritibus Judaicis ab aliis explosa sen-  
tentia) quod avis hæc sacra & vaticina haberetur: Nisi fortè dix-  
eris, voluisse DEUM & Spiritum S. per hanc columbam designare,  
imposturas illas Satanz per Columbas cessaturas, & adesse jam  
JESUM destructorem Operum Diaboli, 1. Joh. III, 8. & salutifera  
oracula è sinu Patris enarraturum, Joh. I, 18.

### §. XII.

Inter antiquos Ecclesiæ PP. ab aureo ore dictus CHRYSOSTOMUS  
remitit nos ad Typum insignem *Columba Noachidica*, Gen. VIII, 11.  
& dicit hanc apparitionem nos admonere Veteris hujus historiæ.  
Nimirum sicuti illa Columba ramum Olivæ ad Arcam Noæ defe-  
rens, finem illius tempestatis ostendit, & communem orbis fere-  
mitatem nunciavit: Ita hanc Columbam postquam apparuit, uni-

23 uni-

universum prorsus orbem in caelum subducere, & loco Olivæ rami, omnium hominum generi adoptionem asserre. Homil. XII. in Matth. Conf. quoq; THEOPHYLACTUS Comm. in h. l. Scilicet conveniens erat, ut illa avis, quæ olim post diluvium ramum asserens Olivæ, Noacho in Arca communem Orbis restitutionem & tranquillitatem annuntiaverat: Nunc quoque liberationem humani generis ejusque liberatorem Filium DEI verum Noachum ex aquis baptismi surgentem, vel nos salvantem per lignum crucis in Arca Ecclesiæ 1. Petr. III, 20. 21. designaret. Confer. AMBROSIUS de iis, qui initiatur myst. cap. 3. ubi concinnè hunc Typum fusius deducit. Sed & Proprietates Columbæ, & eximitæ earundem virtutes, quarum præcipuæ hoc includi solent versiculo:

*Est sine felle, gemit, rostro non ledit, & ungues*

*Possidet innoxios, granaque pura legit.*

*Gaudet aquis, quaritque greges, celerique volatu*

*Tuta petit, fœtus educat alterius:*

*Masculus ipse fovet fœtus, ac incubat ovis;*

*Conjugii servant fœdera casta simul;*

apprimè quadrant in Spiritum S. Spiritum pacis, mansuetudinis & charitatis, precum & gemituum, Zach. XII, 10. Rom. VIII, 26. Spiritum, qui sub aliis suæ gratiæ fideles fovet, & fecundos reddit in fructibus suis, Gal. V, 22. 23. Domicilium sive nidum suum Ecclesiam, quam suam Columbam vocat, Cant. II, 14. VIII, 8. diligit & fovet sollicitè custodit. Vicissim ut Columba foetorem & impuritatem non sustinet, Sap. I, 4. simplicitatem amat, duplicitatem & fallaciam odit, 2. Cor. II, 3. Felle denique caret, & copioso abundat melle. RUPERTUS Comment in Cant. I. septem proprietates columbæ ad septem dona Spiritus S. non ineleganter refert. Sed hæc fusius prosequi, non est nostri instituti. Vid. præter FESSELIUM in Regno Christi mystico & BOTSACCU M in Alleg. & Moral. FRANZIUS in Hist. Animal. sacra Part. II. cap. XV. p. m. 457. BOCHARTUS in Hierozoic. l. cit. VARENIIUS l. cit. Nec displicet illorum pia conjectura, qui putant Spiritum S. mitem Columbam elegisse & prætulisse, vel Aquilæ feroci,

roci, vel pavoni superbæ, ciconiæ impuræ, vulturi rapaci & aliis propter Christum, ad designandum, quàm benè ipsa conveniat cum Christo, quem Johannes vocaverat *Agnum DEI tollentem peccata mundi*, Joh. I, 29, 36. Quod enim in terrestribus est Agnus, id in volatilibus est Columba; Appositè hinc pièque S. BERNHARDUS Serm. I. de Epiphan. Tom. II. Oper. edit. Paris. 1667. p. m. 42. *Nec incongruè ad indicandum Agnum DEI venit Columba, quia nihil melius Agno convenit, quàm Columba. Quod Agnus in animalibus, hoc Columba in avibus. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut Agnus & Columba? Nocere cuiquam nesciunt, ledere non novērunt.* Denique dicendum quoque, quod in Columba apparere voluerit Spiritus S., non modo, *ut Natura Spiritus S. declamretur per animal simplicitatis & innocentia*, quæ verba sunt TERTULLIANI lib. de Baptismo, cap. VIII. Verùm etiam, ut nos doceret in corpore virtutibus columbarum ornato comparere, in quo ipse vicissim tali corpore unicè delectans apparere vellet, Matth. X, 16. Quod fusius egregiè explicatur in Programme Pentecostali An. 1664, hîc edito. Num verò exinde Spiritus malignus Diabolus prohibitus fuerit apparere Protoplastis in forma Columbæ, quam induere maluisset ac serpentis, uti HUGO VICTORINUS apud Varenium l. c. §. 16, hariolatur; Nec in Columbæ vel Agni figura apparere unquam potuerit, quia hujus nomen & imago Christi est, Ec. LIII, 7. Joh. I, 36. 1. Pet. I, 19. Illius species Sp. S. appropriata, & ipse Diabolus odio propterea habeat illas species, ut prætendit PETRUS THYRÆUS Disput. de Apparit. Spirituum, Mogunt. Anno 1582. edit. cap. IX. th. CLXII. frustra & sine fundamento asseritur. Exempla enim ex supra memoratis §. XI. illusionibus Dæmonis in specie Columbæ in contrarium prostant. Id solum urgemus, quod, si Diabolus se transformare possit in Angelum lucis, 2. Cor. XI, 14. imò in forma hominis, quam assumpsit Salvator noster, etiam sancti Prophetæ, 1. Sam. XXVIII, 14. quandoq; apparuit; Eundem quoq; hæc formas induere, & in hisce decipere homines Spiritum malignum non prohiberi. Quod verò in Serpente apparuit Protoplastis malignus Spiritus id singulari DEI consilio factum. *Cum enim esset in illo*

D

assi-

20  
decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse  
permiffus est, inquit AUGUSTINUS Lib. II. de Gen. ad Lit.  
Idem etiam de aliis Apparitionibus Satanæ tenendum.

§. XIII.

Reliqua, quæ de hac columba magis curiosè, quàm utiliter  
quærantur à Scholasticis, ex quibus principiis fuerit formata? Num  
corpus hoc fuerit ex terra, an verò aëre formatum? Cujus coloris  
fuerit albi sive argentei, flavi sive aurei, an verò mixti, sicut in iride  
ejusmodi mixtio colorum observatur in nube? Num motum ha-  
buerit ex intrinseco principio, an verò ab Angelo, qui eam movit?  
Aut quomodo resoluta fuerit & evanuerit? & quæ sunt alia, rectif-  
simè exploduntur & refecantur. *Umbratiles enim ejusmodi velita-  
tiones hominibus otiosis & temerariis relinquimus, qui hic de eo carere  
sine Scriptura & ratione, inquit Spanhemius Part. III. Dub. Evang.  
Dub. 46. §. 5. Placet & hic nobis pium monitum supra laudati  
VARENII, qui ita Diss. cit. §. 27. scribit: Uti ipsum mundi  
Opificem silendo rectè enunciamus: Ita plurima sacræ Scripturæ  
abdita, humanis sensibus maximè remota, nec cogitatione com-  
prehensa, nec voce edita. Quà ratione in hoc ipso Sp. S. mira-  
culo non pauca silentii spiriis sunt obducta, quæ tacitam magis  
venerationem, quàm curiosam refectionem merentur. Subjiciens  
TERTULLIANI hanc in rem verba: Si vidisses, cum de nibilo  
proferebatur columba, scisses, cum in nihilum subducebatur, si non fuit  
initium visibile, nec finis. Quo loco ergò habenda sit Celeberr.  
GROTHII conjectura, qui columbæ speciem igneam forte fuisse cre-  
dit, quomodo lingvæ igneæ visæ sunt super Apostolos, exinde li-  
quet; Si enim ignea fuit, quæ species ejus, quod esset columbæ,  
agnosci potuit, & quare Evangelistæ historiam hanc describentes,  
non id ipsum annotarunt, sicuti fecit Lucas in linguis ignitis, Act.  
II, 3. Neque est, quod ad JUSTINUM provocet, qui ex tra-  
ditione disertè prodit Dialogo cum Tryphone, ignem hoc tempore  
apparuisse in Jordane. Etsi enim maximè hoc certum verumque  
esset, accipi posset de corruscationibus ex aperto celo emicantibus,  
de quibus vide supra §. I. Tradunt enim nonnulli, ut annotavit  
GERHARDUS Notis in h. l. quod, cum cælum tum diffin-  
deretur,*



deretur, ex illa cœli scissura lux quædam augustior ac divinior<sup>ce</sup> erupuerit, qualis Luc. II, 9. Pastores circumfulsit, indeque vo-<sup>ce</sup> cem Patris quasi tonitru erupisse, idque factum esse ad hoc, ut<sup>ce</sup> populus lucis fulgore excitaretur ad audiendam vocem Patris: <sup>ce</sup> Sed de columba rutilante instar ignis, nihil tradit Justinus, nec alius quispiam.

#### §. XIV.

Quod ergò Spiritus S. suam præsentiam in columba manife-  
starit, ejusque corpus ad tempus sibi appropriaverit, ex dictis est  
manifestum; quemadmodum in ipsa Pentecoste super Apostolos lin-  
guis in appropriata specie ignis visus est, Act. II, 3. Nuda in-  
quam hic facta est *appropriatio*, non *hypostatica unio*, qualis erat  
in Christo, & ad quam conciliandam requirebatur, ut Filius DEI in  
utero Virginis conciperetur & nasceretur, juxta Ef. VII, 14. Satis  
nervosè hac de appropriatione S. AUGUSTINUS Lib. de Agone  
Christiano, cap. XXII. Tom. 3. Oper. p. m. 771. C. *Queris, inquit,*  
*quare Spiritus S. non est navis de columba, quemadmodum Christus de*  
*fœmina? Illa causa est, quia non columbas liberare venerat Spiritus S.*  
*sed hominibus significare innocentiam & amorem spiritualem, quod in*  
*columba specie visibiliter figuratum est. In Christo humana natura ita*  
*Filii DEI Personæ uniebatur, ut peractò redemptionis officio ni-*  
*hilominus unio perseveraret, nec unquam transfiret: Sed hoc loco in-*  
*telligenda est in columba species pertransiens, non substantia perseverans,*  
ut PASCASIUS, Diacon. Rom. Lib. I. de Spiritu S. in fine lo-  
quitur. Propter intimam hypostaticam quoque unionem Filius DEI  
verè est, & dicitur homo: Hic verò ob solam appropriationem Spi-  
ritus S. nec est, nec dicitur columba. Eleganter hanc rem perfe-  
quitur Magnus Hipponensium Præsul, Lib. II. contra Maxi-  
minum Arianum Episcopum, cap. XIX. Tom. VI. Oper. pag. m. 719.  
cujus verba haud pigebit transcribere sic sonantia: *Ego cum dixerim*  
*Spiritum S. non ad unitatem Personæ suæ ullam suscepisse creaturam. Tu*  
*ita Spiritum S. in columba & igne apparuisse dixisti, sicut apparuit*  
*Christus in homine: quasi columba & Spiritus, vel ignis & Spiritus una*  
*Persona sit, sicut verbum & homo una persona est. Ad horum quippe*  
*apparuerant illa, quæ Spiritum S. significando monstrarent visibiliter in-*  
*visibilem,*

visibilem, columba propter amorem sanctum, ignis autem propter caritatis lumen atque fervorem. Et peractio significationis officio, corporales illa species transferunt atque esse ulterius destiterunt &c. Quibus paria habet Lib. 2. de Trinitat. cap. V l. Tom. 3. p. m. 265. C. Non sic est assumpta creatura, in qua apparuit Spiritus S. sicut assumpta est caro illa & humana forma ex Virgine Maria. Neque enim columbam beatificavit Spiritus vel illum flatum, vel ignem sibi que & persona suæ in unitatem, habitumque conjunxit in æternum -- Sed apparuerunt ista sicut oportune apparere debuerunt. Creatura serviente Creatori -- Proinde quanquam illa columba Spiritus dicta sit; -- non tamen ita possimus dicere Spiritum S. & DEUM & Columbam. Hæc AUGUSTINUS atque ex eo LOMBARDUS lib. I. Sent. dist. 16. B. C. THOMAS part. 6. ad. 2. & part. 1. qu. 43. a. 7. ad 1. & 2. Confer. cum Augustini locis citatis CHRYSOSTOMUS cit. §. 9. item GERHARDUS in Not. ad h. l. p. m. 191.

§. XV.

Quæ hîc verò de unione inter Spiritum S. & columbam quaruntur, optimè evitari possunt, si remotis speciebus unionum, quas aliàs enumerant Theologi, dicamus illam ignotam esse, nec de illa vel in textu nostro, vel alibi quicquam esse revelatum. Neque enim, ut optimè judicat CHEMNITIUS in Harm. Evang. p. m. 249. *Omnium Operum DEI ratio inveniri vel reddi potest.* Quodsi verò hæc ad aliquam earum specierum, juxta quam unum cum alio unitur, revocanda fuerit, dicendum, quod fuerit unio *παράστασις* per assistentiam, & quidem talis, qualis fuit unio, cum Filius DEI in assumpta ad tempus humana forma in V. T. apparuit. Egregiè hæc itidem illustrat AUGUSTINUS Lib. Epistolarum Epist. CII. Tom. 2. Oper. p. m. 455. B. inquires: Nec sanè sonus ille vocis, qui continuò esse destitit, coaptatus est in unitatem Patris, nec illa columbæ species corporalis coaptata est in unitatem Personæ Spiritus S. Nam ipsa quoque, sicut Nubes illa lucida, quæ operuit in monte cum tribus discipulis Salvatorem; vel potius sicut ille ignis, qui eundem Spiritum S. demonstravit, officio significationis impletò mox esse desinit, sed solus homo, quia propter ipsam naturam liberanda illa omnia fiebant, in unitatem personæ verbi DEI,

DEI, hoc est unici Filii DEI mirabili & singulari susceptione  
coaptatus est, permanente tamen verbô in sua natura incommuni-  
cabiliter, in qua nihil compositi, cum quo subsistat ulla phantasia  
humani animi suspicandum est. Frustra ergò BELLARMINUS  
ex hac unione dogma absurdum Pontificiorum de Transubstantia-  
tione confirmare conatur lib. III. de Eucharistia; cap. 23. circa fi-  
nem eò, quod Spiritus S. apparuerit in specie columbæ ob analo-  
giam inter columbam & Spiritum S. *Et tamen, ut inquit, non  
opus fuit, ut illa columba non esset vera columba quoad substantiam,  
sed satis fuit, ut exteriorem columba speciem habuerit: Sic & analo-  
giam inter panem & Christum non requirere, ut panis verè nutriat, &  
ex multis granis constet, sed satis esse, si naturaliter representet eam  
rem, quæ verè nutrit; & ex multis granis constet.* Quis enim non  
videt Bellarminum hîc committere μεταλασιν εις αλλο γένος &  
impertinenter ab unione παραστατική argumentari ad Sacramentalem.  
*Quicquid sit de illa columba, respondet GERHARDUS Loco de  
S. Cœna Cap. XII. §. 127. & in Not. ad Matth. p. 190. verane na-  
turalis columba fuerit, an tantum simulacrum columbæ; sufficit, quod  
species illa columbæ non fuerit sine corpore quodam subiecto, quod Bar-  
hadus, Cornel. à Lap. &c. agnoscunt. Non proponitur in Eucha-  
ristia aliqua visio vel apparitio, qualis fuit Spiritus S. in specie columbæ  
descendentis, sed sanctissimum Sacramentum, ad quod requiritur, rei  
non solum celestis, sed & terrena veritas, ut unio sacramentalis locum  
habere possit.* Vid. Idem §. 136. ubi contra transubstantiationem ex  
h. l. argumentatur contra Bellarminum in Exceptione ad hoc exem-  
plum Lib. III. de Sacram. Eucharistia; cap. 19. Appositè hanc in  
rem iterum AUGUSTINUS Lib. de Cognitione veræ vitæ,  
cap. XVIII. Tom. IX. Oper. p. m. 854. A. *Sancti Spiritus substantia  
non in columbam -- sicut nec Verbi in carnem est transformata: Sed  
Spiritus S. columbæ corpus condidit, in quo se ad horam -- hominibus  
visibilem præbuit. Ipse verò invisibilis in essentia Patris & Verbi in-  
separabiliter mansit -- foris speciem exhibuit, & tamen à substantia  
Patris & Filii non recessit.*

§. XVII.

Dum verò Spiritum S. in appropriatò columbæ corpore descen-

disse & super Christo apparuisse credimus, exinde nostratas Theologi  
luculenter eliciunt Spiritum S. esse Ens *ἀνδραπόδων* per se subsistens,  
sive Suppositum, sive Personam realiter distinctam à Patre & Filio,  
non Virtutem tantum, qualitatem, vim & efficaciam divinam, aut ha-  
litum, aut afflatum caelestem, sicut totidem verbis asserunt FAUSTUS  
SOCINUS contra WIEKUM, cap. 10. p. 454. & in defens.  
animadvers. contra EUTROPIUM, cap. 11. p. 290. Catechismus  
Racoviens. de Prophet. Officiò Christi, cap. 6. p. 291. edit. Germ.  
SCHLICHTING de Trinit. contra MEISNERUM, præfat.  
p. 2. & alii ex horum grege. Quí enim dubitare liceret suppositum  
esse, cui ejusmodi actiones conveniunt, quæ non nisi suppositi pro-  
priæ sunt, puta corpus sibi appropriare, in eodem descendere, appa-  
rere & sese conspicuum præbere; Quas velle de nuda Virtute &  
divino halitu enunciare tam absurdum est, ut nihil possit magis esse.  
Varias equidem contra hanc veritatem Spiritus mendacii *πνευματο-  
μάχης* suggestit exceptiones. I. Excipiunt: Quod Spiritus nec  
hic, nec alibi uspiam dicatur in specie ac forma Personæ alicujus  
apparuisse; sed solum in forma Columbæ & ignis, quæ substantiæ,  
quippe intellectûs expertes Personæ nomine venire nequeunt, quem-  
admodum ogganit CRELLIUS de uno Patre, Lib. I. Sect. 3. cap. 15.  
circa finem. Quodsi enim in hisce apparitionibus evictum fuerit,  
Spiritum Sanctum esse Suppositum, ultrò & per se constabit eum  
esse Personam, quandoquidem illud naturæ intellectualis est: Omne  
enim Suppositum in natura intellectuali est Persona. At verò Spi-  
ritum S. esse naturæ intellectualis, tum ex intellectu, tum ex vo-  
luntate ejus elucescit: Hæc namque intellectualem naturam consti-  
tuunt, & Spiritui S. disertissimè adscribuntur, Ef. XI, 2. 1. Cor. II,  
10. 11. XII, 11. II. Nullam esse consequentiam: Spiritus S. ap-  
paruit, Ergò est à Patre & Filio distincta Persona: Sic GOSLAVIUS  
contra KECKERMANNUM (ex cit. CHRISTOPH. ALTHOFERI  
in Harm. Evang. emedullata in h. l. p. m. 132.). Nam præterea,  
quod illa ipsa accidentia restentur de substantia substrata, sciendum  
est, nos non tam crudè & nudè argumentari, uti nobis imputat  
GOSLAVIUS, sed ita colligimus: Cuicumque hoc loco distin-  
ctum nomen, distincta actio, & distinctum Symbolum externum  
attri-

attribuitur. Ille non est nuda Virtus divina, sed Persona à Patre & Filio distincta; Nam nudæ virtuti non competit corporalem speciem sibi appropriare: Quis enim unquam legit vel audivit, DEI misericordiam, justitiam &c. in externa tali forma apparuisse? Sed competit hoc Virtuti per se subsistenti sive Personæ. Atqui Spiritui S. h. l. distinctum nomen &c. attribuitur. Ergo &c. Obvertunt III. Verba Evangelistarum, *sicut columba*, non ad ipsius *essentiam* referenda esse, ut hinc liceat inferre: Sicut columba est res animata, sic Spiritus S. est res animata, & sic cum res divina sit, etiam Persona: Sed ad *externam speciem seu modum* idque non ipsius rei, sed *descensus* illius; Ita ut vocula *sicut* pertineat ad verbum descendere, & columbini descensus non autem columbini corporis similitudinem declare: Ita SOCINUS de DEO, Christo, & Spiritu S. p. 103. & 109. cui adstipulantur VOLKELIUS de vera Religione, Lib. V. cap. 14. p. 495. & SCHLICHTING l. c. p. 165. Sed quis hæc non inania & confutatione ferè indigna putet? Quid enim? Num columba peculiari descensu gaudet, aut notabili modo præ aliis avibus descendit, ita ut ex isto descensus modo dignosci debeat, quod instar columbæ descendit? Annon ex ipsis Evangelicis textibus supra expositis ad oculum patet, verba illa, *sicut columba*, ad externam formam, qua Spiritus S. apparuit, referenda esse, minimè ad columbini descensus modum. Lucas ita habet: *Descendit Spiritus corporali specie sicut columba*, ubi adverbium sicut non cum verbo descendit, sed cum specie corporali, quam exprimere voluit, connectit. Idem Matthæus & Johannes indignant, nec non Marcus, qui disertè descendentis Spiritus faciunt mentionem. Denique IV, urgent, quod Spiritus S. dicatur esse vel venire super Christum, item super eum manere, Joh. I, 33. De Persona autem, quales sunt DEUS & Christus nusquam legi, quod sint vel maneant super aliquem, quemadmodum de rebus, nempe de Ira DEI, de pace & Misericordia &c. id legimus. Ita SCHMALZIUS apud ALTHOFFERUM l. cit. Probet Smalcus ullo Scripturæ loco rem sive Virtutem Divinam, iram, misericordiam ita personaliter descendisse & mansisse, hoc enim personarum est proprium. Et notet loca Joh. VI, 56. XIV, 6. 23. XV, 4. & alia, ubi

ubi hæc Personis Trinitatis tribuuntur. Socinianos ergo à Fide Catholica ad sua figmenta prolapsos, denuò ad Jordanem ablegamus cum aliis Antitrinitariis, quò ibidem discant Spiritum S. non esse nudam Virtutem & coelestem Vinm seu Afflatum, sed distinctam à Patre & Filio Personam indivisæ Essentiæ divinæ, ceu credimus in fide Catholica. Plura de hac controversia videantur apud BALDUINUM in Colleg. de SS. Trinitat. disp. 3. cap. 2. th. 1 -- 4. FRANZIUM in Vindic. Disput. 2. th. 205. JACOB. MARTINUM Lib. 2. de tribus Eloh. cap. 22. p. 194. GERHARDUM in Exegef. Loc. 3. de SS. Trinitat. §. 75. 84. STEGMANNUM in Antiphotin. Disput. 4. quæst. 4. & Disput. 6. quæst. 6. Disput. 7. quæst. 7. KESLERUM part. 1. Metaphyf. Photin. Sect. 3. princip. 3. & 4. p. 125 -- 153. part. 2. Sect. 1. princip. 3. p. 17. 27. THUMMIUM in *Αποδείξ.* SS. Trinitat. p. 47. 48. 49. Ex recentioribus FRIDEM. BECHMANNUM in Theol. Polemica part. 1. controv. X. Sect. 2. §. 20. DAVID. HOLLAZ. in Examine Theologico, part. 1. cap. 2. quæst. 45. p. 475.

§. XVII.

Hisce expeditis lustremus jam, quæ de Spiritu S. hoc loco enunciantur: Scilicet dicitur, quod *Spiritus DEI descenderit & venerit super Christum*: καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τῆς Θεῆς καταβαῖνον ὡσεὶ περισσεῖαν, καὶ ἐρχομένον ἐπὶ αὐτόν. *Et vidit, scilicet Christus, Spiritum DEI descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum*, inquit Matthæus. De eodem Descensu Spiritus S. Marcus, Lucas, & Johannes testantur. Hæc de Spiritu S. *θεωρητικῶς* intelligenda sunt. Neque enim ille, qui ubique secundum essentiam est, vel descendere vel ascendere potest: Nihilominus tamen, sicut venire, egredi, descendere etiam DEO Patri tribuitur & universæ Trinitati, Joh. XIV, 23. cum alicubi suam gratiosam præsentiam manifestant, & in aliquo medio apparent: Ita & de Spiritu S. dicendum, quod hîc descenderit & venerit super Christum, sicut in Festo Pentecostes in igne descendit super Apostolos, insedit eos atque implevit, Act. II, 3. Manifesta enim sunt verba Evangelistarum, quæ descensum Spiritui S. in appropriato sibi Columbæ Corpore tribuunt. *Non loco movetur DEUS, sed semper ubique est*

solus,

35

torus, sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter  
usitatum natura cursum mirabiliter factum presentiam quodammodo  
ejus ostendit, inquit AUGUSTINUS Lib. XVI. de Civit. DEI,  
cap. V. Tom. V. Oper. p. m. 875. D. Frivola ergo est exceptio  
Photinianorum: Quicumque DEUS est & ubique præsens, ille nec  
descendere, nec ascendere potest, quia contradictionem implicat  
esse ubique, & descendere vel ascendere. Atqui Spiritus S. ex  
sententia Catholicæ DEUS est & ubique præsens. Ergò. Re-  
spondemus (1.) per instant, Atqui DEUS Pater est ubique se-  
cundùm Photinianos, & tamen super montem Sinai descendit,  
Exod. XIX, 19. 20. Ergone DEUS Pater propterea non erit DEUS,  
(2.) Limitando Maj. Prop. Qu. est ubique, ille nec descendere,  
nec ascendere *immediatè & absolutè* potest. Atqui non dicimus  
Spiritus S. absolutè & immediatè descendisse: Sed mediatè in  
Symbolo sive mediante Symbolo, quod instar formæ accidentalis  
movit, & in eo descendit, atque supra Christum visus est.  
Conf. GERH. in Exeg. Loc. III. cap. 4. §. 82. & GLASSIUS  
Rhetor. S. Tract. 1. cap. 7. p. m. 143. (in edit. nova Amstel. An.  
1694. edit.) & pag. 774. & seqq. Quare, quod JOH. SILVEIRA  
Comm. in Text. Evang. Tom. I. Oper. Lib. III. cap. 2. qu.  
20. p. m. 399. sibi valde probabile & certum esse putat ex  
TOSTATO quæst. 95. cui etiam adstipulatur SALMERO in  
h. l. Tom. IV. Comm. Part. I. Tract. VII. p. 72., quod scilicet An-  
gelus aliquis istam similitudinem Columbæ fabricaverit de aère, mo-  
verit eam usque ad Christum, & fecerit manere super ipsum, quam-  
diu conveniens fuit, sicuti factum in columna ignis & nubis præce-  
dente Judæos, Exod. XIII, 21. nobis improbabile & absurdum vi-  
detur. Quid enim opus hic erat ministerio Angeli, ubi aderat Spi-  
ritus, qui dicitur descendisse. In columna Nubis & ignis non erat  
Angelus creatus, sed increatus ipse DEI Filius, Exod. XXIII, 22.  
§. XVIII.

Descendisse Spiritum S. in specie columbæ audivimus. Sed  
quæritur, propter quid aut in quem finem factus fuerit hic descen-  
sus? Respiciendum verò hîc est tum ad Johannem, tum ad Chri-  
stum, tum etiam ad Populum Judaicum, imò ad nos Christianos.

E

Jo-

54  
Johanni ex hoc descensu Spiritus S. innotescere debebat Christus. Sic enim ipse testatur de se: *Ego, inquit, nesciebam, scilicet Messiam, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendantem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu S. Et ego vidi* (scilicet Spiritum S. descendantem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum, ut dixerat vers. antec. 32.) *Et testimonium perbibui, quia hic est Filius DEI, Joh. I, 33. 34.* Quî verò, dicat aliquis: Nonne Johannes jam ante JESUM agnoscebat. Ipsa historia Baptismi docet, Johannem ad se venientem JESUM continuò agnovisse etiam, priusquam super eum Spiritus in specie columbæ descenderet: Detrectabat enim JESUM venientem ad baptismum baptizare, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me, Matth. III, 14.* Imò adhuc in utero constitutus saltu suo eundem indicabat & venerabatur, Luc. I, 41. 44. Variæ inde hujus historiæ cum testimonio Johannis ad populum quæsitæ sunt conciliationes. AUGUSTINUS novisse dicit Johannem Christum esse Dominum & Messiam etiam ante baptismum: Ex signo autem visibili cognovisse insuper aliud, quod scilicet propriâ quâdam excellentique potestate in Spiritu S. baptizaret, ut soli illi baptismi sanctitas tribuatur. Lib. 2. de Consens. Evangel. cap. 15. Tom. 4. Oper. p. m. 415. C. & Lib. V. contra Donatist. cap. 13. Tom. 7. Oper. p. m. 442. D. Itemque Tract. V. in Joh. Tom. 9. Oper. p. m. 39. D. Verùm, quod Johannes illo loco non de vi & efficacia baptismi Christi in Spiritu S. sed de Persona Christi, quam non agnoverat hæctenus, loquatur, satis clarè ipsius verba testantur. Hanc enim proprietatem Christi habuisse perspectam docent illa verba, quæ ante hunc baptismum protulerat. *Ipsè, scilicet Christus, vos baptizabit Spiritu & igne, Matth. III, 11.* Christum verò non agnovisse de facie, illa apud Johannem testantur: *Ego nesciebam eum, qui me misit baptizare in aqua, ille verò mihi dixit: Super quem videris &c.* CÆJETANUS in Joh. I. ut nodum solvat, arbitratur, columbam bis in Christum devolasse, semel ante baptismum, cum ad Johannem baptizandus venit, ex quo signo agnoverit Johannes Christi facièm, personamq; augustissimam, adeoque in humilitate dixisse, *Ego à te baptizari debeo, & tu venis ad me:* Iterum post baptismum repetisse  
DEUM



DEUM hoc signum. Verùm geminæ hujus apparitionis nulla est apud Evangelistas facta mentio. TOSTATUS ABULENSIS quat. 76. in Matth. opinatur Johannem quidem ante baptismum vel per revelationem, vel ex modestia, externisque signis, Christum virum esse sanctissimum cognovisse & inde dixisse: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*, Messiam verò esse minime intellexisse, sed id ex descensu columbæ, tanquam sibi datò signò, didicisse. Sed & illa prior cognitio, quam ABULENSIS excogitavit, parum probabilitatis habet. Dicendum itaque, quod sicut Mater Johannis Elisabetha, Simeon & Hanna Christum agnoverunt ex peculiari Spiritus S. inspiratione & revelatione: Ita quoque per eandem de facie hactenus incognitum Christum à Johanne mox ac advenerit agnitum esse. Spiritum verò S., qui intus in animo Johannis dictabat, eum, qui adveniret, esse Christum, non in sola hac inspiratione acquievit; sed vel eò ipsò tempore, vel jam pridem addidit signum descensûs Columbæ visibile, ut Johannes magis in fide confirmaretur, & argumentum haberet, quò ad Populum commode uti posset. Ideoque Johannes hoc loco de interna inspiratione, per quam tamen prima agnitio facta erat, tacet, & solum externum signum proponit. Ita CALIXTUS Harm. Evang. cap. 3. p. m. 93. & PELARGUS Comm. in h. l. qu. 3. p. m. 15. Ad illam scilicet internam revelationem videtur etiam referendum, quod addit Johannes *de mansione Spiritus S. super Christo*: Non enim verisimile columbam istam in visibili specie & postea mansisse super Christum, sed tantum in hac apparitione: Sed quod Johannes ex hoc signo collegerit, Spiritum S. habitare in ipso peculiariter, non ut in fidelibus aliis: *Quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate processit. Mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS, in cunctis eum Spiritum S. & semper continè habet presentem, quia & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur*, inquit GREGORIUS M. Lib. Moral. in Job. cap. 28. Tom. II. Oper. p. 60. edit. Paris. Vid. HIERONYMUS in Pl. LXVII. Tom. VII. p. m. 81. edit. Paris.

§. XIX.

Columbam itaque Johannem vidisse, ex hisce nullum est dubium.

bium. Cum verò Matthæus & Marcus dicant, *Christum eandem vidisse*, ad eum enim referendum videtur vocabulum *ei*, innuere videntur, principaliter propter Christum, ad designandam plenitudinem Spiritus, quò unctus erat præ consortibus suis, Ps. XLV, 8. atque ut hæc miraculosa apparitio esset, quasi publica inauguratio ad officium, ad quod missus erat Christus: Non tamen putandum, quod tunc demum Spiritus S. unxerit Christum, cum in baptismo super ipsum descendit, sed quod solum externo hoc signo declaraverit, quod hic esset Messias sive Unctus Domini. Equidem ita loquuntur Patres quidam de hoc Descensu Spiritus S. in Christum, quasi tunc unxerit Christum, & propterea ista apparitio facta sit. Sic HILARIUS Lib. XI. de Trinitat. edit. Colon. Agrip. 1617. p. 62. B. *Jesus Spiritu DEI unctus est tum, cum ascendente Eo de Jordane vox DEI Patris audita: Filius meus tu, ego hodie genui te.* Et ATHANASIUS Orat. II. contra Arianos, Tom. I. p. 353. D. ita dicens: *Quando igitur ista de eo pronunciata sunt, nisi tum, cum in carne constitutus baptizabatur in Jordane, ac Spiritus in eum descendebat.* Distinguitur HIERONYMUS Comm. in Esai. LXI. hoc enunciat, hunc in modum scribens: *Unctio hæc illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Jordane, & Spiritus S. in specie columbæ descendit super eum, & mansit in illo.* Hisce jungendus est OPTATUS MILEVITANUS Lib. IV. adv. Parmen. p. m. 94. edit. Paris. *Complevit Pater, quod rogaverat Filius, in Jordane -- apertum est calum DEO Patre ungente, spirituale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum, unde capit dici Christus, quando unctus est à DEO Patre.* Verùm sicuti laudati Patres ita loquuntur, ut testentur, quàm procul sint ab errore & Hæresi Cerinthiana, quæ non Spiritum S., sed JESUM descendisse in specie columbæ impiè & ineptè prætendebat, ceu ex dictis §. IV. constat: Ita intelligendi sunt tantùm de publico testimonio Unctionis, datò Christo, jam tunc uncto, in visibili hoc Descensu columbæ, ut insinuat HILARIUS, post verba modò citata addens: *Ut per hoc testimonium sanctificata in eo carnis Unctio spiritualis Virtutis cognosceretur.* Scilicet prout non tum demum factus fuit Salvator noster Filius DEI, cum Patris Vox eum Filium DEI denominaret; ita non tum demum  
Eum

Eum unctum fuisse dicendum est, cum Spiritus S. sub specie Columbae super Unctum CHRISTUM descenderet. Rectissime proinde tempus hoc unctionis & ejus semel peractae manifestationis determinant Veteres. *Unxit DEUS Pater Christum oleo Exultationis, cum humanitatem divinitate unxit, ut ambo unum faceret, inquit GREGOR. NAZIANZ. Orat. V. in fin. Christus ab eo tempore, quo Salvator dignatus est assumere creaturam nostram impletus Spiritu S. est, sunt verba CHRYSOSTOMI Hom. de Spirit. S. Tom. III. Oper. p. 893. A. Non alia etiam mens fuit D. AUGUSTINO hac de re Lib. XV. de Trinit. cap. 26. p. m. 474. C. hunc in modum scribenti: Non tunc Christus UNCTUS Spiritu S. est, quando super eum baptizatum velut columba descendit &c. sed ista mysticâ & visibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum DEI caro factum est, hoc est in utero materno. Addit rationem Augustini. Absurdissimum est enim, ut credamus eum, cum jam triginta esset annorum (ejus enim etate à Johanne baptizatus) accepisse Spiritum S., sed venisse illum ad baptisma, sicut sine ullo omnino peccato, ita non sine Spiritu S. Quod porro explicat exemplò Præcurforis Jesu Christi & famuli Johannis, qui quamvis seminatus à Patre, tamen Spiritum S. in utero formatus accepit, secundum illud Luc. I, 15. Spiritu S. replebitur jam inde ab utero matris suæ: tandem applicat ad Christum: Quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit. Sequuntur Augustinum REMIGIUS in Explanatione Ep. ad Ebr. ad Cap. I, 9. Unctus est Christus plenitudine Spiritus S. qui die baptismatis solusmodò Spiritus S. in eo mansit, sed potius ex tempore conceptionis. Et BEDA (quem Glossa Ordinar. citat ad Act. X, 38.) Non tunc inunctus Spiritu S. Christus, quando columba descendit super eum: Tunc enim Ecclesiam præfiguravit; Sed mysticâ & invisibili unctione perunctus est, quando Verbum caro factum est, i. e. humana natura Verbo DEI in utero Virginis copulata, facta in eo est una persona. Accedit his testimonium RUPERTI de Glorific. Trinitat. & Processione Spirit. S. cap. 3. sic loquentis: Corporalis species Columba tota in Christum descendit, non quod tunc Spiritus S. in eo esse vel manere ceperit: sed quod in eo esset,*

esset, quod in eo maneret, tali specie demonstravit. Atque hinc THEODORETI notanda sunt verba, quæ habet in Cant. Cant. p. 362. A. Edit. Colon. Anno 1573. *Idcirco, ô Christe! ad baptismum accessisti, non ut peccatorum sordes ablueres, cum peccatum non admiseris, nec inventus sit dolus in ore tuo: neque ut Spiritus S. reciperes gratiam, ejus plenus eras: Sed mihi ut indicares, quæ Spiritus S. dona, & qua ratione possim fugere gratiam Spiritus. Ideo sub columba specie descendit Spiritus S., non ut præberet tibi, quæ non haberes, plenus enim eras gratiis Ipsius, sed ut mihi demonstrares, quod sit baptismatis munus.* Vid. Differt. Posterior de Nomine Christi Dn. Præsidis, §. 27. p. 41. & seqq. ubi hæ diversæ sententiæ PP. de Unctione Christi concinnè inter se conciliantur, & alia, quæ de hac unctione notatu digna fusiùs explicantur atque deducuntur.

§. XX.

Nimirum descendit Spiritus S. visibili specie, & mansit super Christum, non quod hæctenus Spiritu DEI vacuus fuerit, tota enim plenitudo Divinitatis in ipso habitavit corporaliter ab ipsa statim conceptione, Coll. II, 9. Matth. I, 20. Sed quia prædictum erat, fore, ut Messias inchoaturus officium Mediatoris ungeretur non oleo corporali, sed Spiritu S. Pf. XLV, 8. Es. LXI, 1. ut omnibus constaret, hoc impletum esse in Christo, & hunc esse Prophetam audiendum, qui per Mosen promissus fuit, Deut. XVIII, 15. divina autoritate cœlitus missus & confirmatus. Sicuti apertio cœli, Christum officio Redemptionis cœlum aperturum, ut habeamus aditum & accessum ad thronum gratiæ in Regno Cœlorum: Ita descensus Spiritus doctrinam ejus & Spiritus Ministerium, 2. Cor. III, 8. & verba, quæ loquebatur esse Spiritum & Vitam, Joh. VI, 63. declaravit. Sic enim Johannes B. hanc declarationem explicat, Joh. I, 34. *Et ego vidi, inquit, & testificatus sum hunc esse Filium DEI.* Imò ipse Christus visibilem hunc Descensum Spiritus S. hoc modo interpretatur, Luc. IV, 18. *Columba ideò apparuit, ut extenti quodammodò digiti vice DEI Filium Johannem demonstraret,* inquit CHRYSOSTOMUS Homil. XIII. in Matth. *Et mox: Baptizato Christo cœli aperiuntur, & Spiritus S. descendit, & cum Spiritu S. vox Patria Unigeniti sui prædicat dignitatem: Quia enim*

vox

45  
vox illa, qua dixit: Hic est Filius meus dilectus, credebatur à multis Johanni potius convenire: Venit Spiritus S. in specie Columba, vocem traxit ad Filium, cum è usque fecit esse perspicuum, quod istud, quod ait: Hic est Filius meus dilectus, non de Johanne baptizante, sed de Christo baptizato intelligi deberet. H. I. Sicut Reges Prophetæ & Sacerdotes apud Judæos externo & visibili oleo ab hominibus ungebantur: Ita Christus propter hæc officia, quæ implebat, visibili Spiritûs S. descensu unctus publicè declarabatur. Non quemadmodum Aaron, David, aut reliqui omnes, ita quoque oleo Christus inunctus est, sed aliter supra omnes consortes suos oleo laetitiae. (Ps. XLV.). Quod oleum Spirituum S. esse Prophetæ exposuit: Spiritus Domini supra me, eò quod unxerit me &c. inquit ATHANASIUS Orat. II. contra Arianos Edit. Colon. 1686. p. m. 353. D. Vid. Disputat. suprâ citat. de Nomine Christi.

#### §. XXI.

Atque hinc omninò verisimile, quod hæc patefactio facta sit; non, cum soli essent Johannes & Christus, sed uti Lucas disertè testatur in confluxu Populi ad baptismum. Factum est, inquit Cap. III, 21. cum baptizaretur omnis populus, ut & JESU baptizato & orame apertum sic cælum, & descenderit Spiritus S. &c. Fuit igitur, inquit B. CHEMNITIUS, valde illustre spectaculum, multis stupendam illam revelationem cum admiratione spectantibus. Neque obstat, quod dicatur *ἀνορθω*, scilicet Christo aperti sunt cœli, quasi soli Christo hæc apparitio facta sit; Sic enim exclusus quoque fuisset Johannes, qui tamen disertè testatur, se vidisse columbam descendentem. Nec impedit (2.) quod Johannes sibi soli videatur hoc tribuere: Non enim hoc simpliciter asserit, ita ut excludat alios, sed tantùm testatur se de illo, super quem visurus esset descendere Spiritum ceu Columbam, peculiarem accepisse revelationem. Nec deniq; (3.) valet, quod Johannes non opus habuisset hæc referre Populo, siquidem ipse populus præsens fuisset apud Baptismum Christi, & hanc revelationem vidisset; Loquitur enim Johannes non ad illam multitudinem, quæ tum, cum hæc fierent, præsens fuerat; sed ad aliam multitudinem postera sive altera die congregatam, referens, quid heri contigerit, ubi ille populus, secundùm maximam partem non

non aderat. Scilicet ut Judæi, maximè Pharifæi, effent ἀναπολόγητοι inexcusabiles, voluit Christus hâc miraculosâ apparitione in suo baptismo se manifestare, se esse illum, qui Patribus promissus fuerat, Messiam. Sicuti verò, postquam Nativitatem suam manifestasset per Angelos Pastoribus, per Pastores Bethlehemitis, nec non per Magos Hierosolymitanis, per Simeonem & Hannam iis, qui expectabant Salutare DEI, & postea se iterum abscondit: Ita & circa initium Prædicationis, ex hac illustri Apparitione & testimonio Johannis innotescere volebat omni Populo, ut agnosceret ipse, Se esse Doctorem, & Prophetam, imò DEI Filium à DEO promissum & missum. Quanquam postea maximam partem docendo & miracula faciendo exegerit in Galilæa. Vid. Luc. IV, 24. 31. & seqq.

§. XXI.

Denique etiam propter nos Spiritus S. in specie columbæ insidere voluit Capiti Christi baptizati, ut inde disceremus, quod id, quod tum factum est visibiliter in specie Columbæ, nunc invisibiliter fiat in nostro baptismo: In quo tanquam *Lavacro regenerationis & renovationis DEUS Spiritum S. in nos abundè effundit per JESUM Christum Salvatorem nostrum*, Tit. III, 6. Propter nos baptizatus est Christus, *us in se ipso nostrum baptismum sanctificaret*, ut loquitur CHRYSOSTOMUS Homil. XII. in Matth. & omnibus aquis benedictionem daret, *vitaleque gratiam*, juxta AUGUSTINUM Serm. I. de Epiphan. & Serm. XXXVI. de Tempore, nec non XXXVII. AMBROSIUS Lib. 2. in Luc. Propter nos quoque descendit Spiritus in baptismo Christi, *ut intelligeremus, esse baptismum nostrum lavacrum Regenerationis & Renovationis Spiritus S.* Tit. III, 6. & quod ab illius JESU plenitudine accipiamus in & per hoc Sacramentum gratiam pro gratia, Joh. I, 16. JESUM enim esse, qui baptizat in Spiritu S. Johannes B. testabatur ibid. v. 33. *Columba idè apparuit -- ut etiam disceres, quoniam super te quoque cum sancto fonte ablueris, Sanctus Spiritus veniat*, inquit CHRYSOSTOMUS loc. suprâ citato, Homil. XII. in Matth. Ad similem modum loquitur THEOPHYLACTUS Comm. in Luc. III. Non aliter HIERONYMUS per descensum Columba Spiritus S. adventus in baptismo fidelium significatum fuisse existimat. Cum verò Johannes



Ira & tali signô & symbolô sequentibus temporibus in designatione & inauguratione miraculosa Episcoporum & Pontificum quorundam usus sit, meritò dubitatur. Hoc enim erat axioma soli Christo competens, qui sic distingvendus erat ab aliis suis ministris. *Unctus enim suprâ suos consortes*, Ps. XLIV, 8. Non negamus simpliciter, quod quandoque per ejusmodi signa Spiritus S. primis Ecclesiæ Apostolicæ temporibus, cum miracula adhuc vigerent, sanctorum Virorum electiones ad ministerium Ecclesiasticum designaverit & confirmaverit: Aut, quod Christiani ex certis eventibus, quæ videbantur speciale quid revelare, aliquid collegerint; Verùm quod ejusmodi signa & revelationes pari loco & censu sint habendæ cum hoc Spiritus S. in specie Columbæ facto descensu in Christum, nemo nisi in Christi gloriam, quam sibi soli reservavit, injurius dixerit; multò minùs, quod eò modò illi in Doctores universi Orbis fuerint designati, sicut Christus in suo baptismo per columbam cujus speciem Spiritus S. sibi appropriavit, talis esse, fuit declaratum, quod intendit CORNELIUS à LAPIDE Comm. in h. l. per exempla ELEUCADII, ADERITI, MARCELLIANI, FABIANI, GREGORII M. BASILII & JOH. CHRYSOSTOMI, quæ adducit: Confer. BEYERLING Theatr. V. H. sub voce *Episcopus*, p. m. 100. qui hisce & alia addit. Non vacat jam illa examinare singulatim, sed vel ex FABIANI exemplo, quid de aliis statuendum sit, liquebit. Refert id EUSEBIUS Lib. VI. H. E. cap. 29. p. 229. hisce verbis: *Hunc Fabianum post Anterotis mortem unâ cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem, opitulante DEI gratia præter omnium expectationem ad Pontificatus sortem pervenisse. Nam cum fratres omnes successoris ordinandi causâ in Ecclesia essent congregati, ac plerique jam illustres aliquot & nobiles viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano quidem, qui tùm præfens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat. Columbam tamen repente è sublimi delapsam capiti illius infedissee narrant, quæ Spiritus S., qui olim sub specie columbe in Servatorem descenderat, imaginem referre videbatur. Quò spectaculò permotus Populus ac divinò Spiritu incitatus, summa cum alacritate uno consensu simul omnis exclamare cepit, dignum esse: statimque comprehensum sacerdotali cathedra imposuit.* H. I. Idem testa-



testatur NICEPHORUS Lib. V. H. E. c. 26. Verùm ipsa narra-  
 tio EUSEBII (nam de Nicephoro fabularum variarum confarci-  
 natore, ita ut Judice Casaubono *ejus plurima non plus quàm folia  
 farfari facienda sint*, non multum hic erimus solliciti) dubios nos  
 relinquit, num hæc, quæ ante Eusebium annis plus quàm viginti  
 contigerant, ex certis & veris deprompserit Monumentis, an verò  
 ex incertis, & per traditionem ad se de volutis aliorum narratio-  
 nibus. Ait enim ipse hæc describens: *Hunc Fabianum &c. Romam  
 venisse DICUNT. Columbam è sublimi delapsam capiti illius insedisse  
 NARRANT*; Scilicet prout acceperat, Eusebius hanc historiam ita  
 narrat. *Speftaculo columba alicujus super capite Fabiani, per motum po-  
 pulum ac divino Spiritus instinctu incitatam, eundem comprehensum ca-  
 pbedra sacerdotals imposuisse dicit, non quod crederent Spiritum S. ap-  
 paruisse in specie columbæ, sed quod illa columba, quæ DEO dirigente  
 tum advolasset ad Templum, quod & alias sæpè fit, pro signo ex-  
 terno fuerit habita, per quod Populus adductus fuerit, ut concor-  
 dibus suffragiis Fabianum, de quo ante non cogitaverant, eligerent,  
 aliisque illustrioribus Viris eundem præferrent. Neq; enim dicit Co-  
 lumbam illam manifestasse Spiritus S. præsentiam, sed fuisse *μίμημα  
 imaginem ejus columba, qua olim descenderat in Christum*. Prostant  
 ejusmodi narrationes plurimæ de Columbibus, quæ in gratiam San-  
 ctorum dicuntur apparuisse & aliquid manifestasse; Sicuti nota &  
 vulgata est historia de Ampulla Remensi cum oleo, quo inunguntur  
 Reges Gallix, quam ferunt columbam rostro Clodovæo I. Regi  
 Franciæ apportasse, de qua videatur Dissertat. B. M. GEORGII  
 FUNCCII de Ampulla Remensi, Regiomont. 1693. edit. Ver-  
 rùm sicuti ejusmodi Narrationes exiguæ sunt autoritatis: Ita etiam  
 ejusmodi, etiam si verè quandoque contigerint, ad fortuitos casus,  
 quæ non semper aliquid portendunt, sunt referenda; Omnium mi-  
 nimè cum hac *θεοφανεία* comparanda aut æquiparanda. Simile  
 quid in S. POLYCARPI martyrio editi ab USSERIO narratur h. m.  
*Tandem videntes impij, corpus ipsius, scilicet Polycarpi, ab igne non  
 posse absumi, jusserunt confectorem propius accedere, pugionemq; capulo  
 tenens addere. Καὶ τὸ πρῶτον ἐποίησαν, ἐξήλθη περιτερά, ἡ πλῆθὺς  
 αἰματῶν, ὡς τε κατάβησαι τὸ πῦρ.* Quo factò exiit columba, &  
 F 2 via*

*vis sanguinis, ut ignem prorsus extingueret.* Cum verò de Columba exeunte ex latere Martyris altum sit silentium apud EUSEBIUM, qui eandem Epistolam Smyrneorum recenset Lib. IV. H. E. cap. 15. & RUFFINUM, qui Eusebii textum latinè vertit. HIERONYMUS quoque in Catalogo Scriptorum Illustr. in Polycarpo ea de re taceat, nec Menæa Græcorum hanc circumstantiam referant; Nec appareat causa, propter quam Columba hæc exierit: Hinc lectionem hanc *se semper pro suspecta habuisse* dicit Clar. STEPH. MOYNE in Dissert. Analectica de Polycarpo prolegom. in Varia Sacra II. & varias de hac conjecturas affert, quasi pro *περιστέρα* legendum sit *πλευρα* latus, ex quo tanta sanguinis copia prodierit, aut *πνεύμα* flatus seu *Ventus* flammam ignis dissipans, aut *παραχρημα* statim exiit & *vis* sanguinis; tandem maxime sibi arridere illam dicit, qua legendum *ἐπ' ἀριστερα* ex lava seu sinistro latere, in Martyrio Polycarpi nullo modo quaerenda videatur, nec sint multiplicanda miracula sine testimonio invictis & evidentissima necessitate. *Si tamen codicibus recentioribus fides habenda sit, & vox περιστέρα servanda, & martyrium Polycarpi istò novò prodigio ornandum & decorandum, nullus dubito inquit, quin Lucianus hoc ridere voluerit, fitione Vulturis subito exeuntis ex rogo Peregrini.* Nihilominus tamen & huic conjecturæ, quam *plausibilem & argutam* vocat, varia opponit Celeberr. Anglus THOMAS SMITH, Schol. & Annotat. in Epist. de Martyrio Polycarpi edit. Oxon. Anno 1709. p. m. 116. & 117. & aliam profert, quâ dicit; fortè librarium quendam ad Romanorum consuetudinem, qui in ἀποθήσσει accensa pyra Aquilam dimittebant, versus cœlum avolantem respexisse, cum hæc adscriberet margini Epistolæ, unde postea in textum irrepserit. Ex ejusmodi quoque narrant illam fabulam de columba nivea de carcere ad Cœlum ascendentem in Martyrio S. BENIGNI apud Adonem de Festivitatibus Sanctorum, idem putat. Conf. interim de Columba Polycarpi quoque TENZELIUS Exercit. Select. Part. I. Exercitat. IV. p. m. 142. & ANDR. SCHMIDT, Hist. II. Sec. fabulis p. m. 22.

§. XXIV.


Tandem occasione hujus apparitionis Spiritus S. in specie Columbarum quæritur: *An representatio ista per columbam faveat representationi DEI per imagines?* Pontificii & ex iis BELLARMINUS Lib. II. de Imagin. cap. 8. Tom II. Oper. Contr. IV. Gen. p. m. 1262. ad hanc apparitionem provocans pro sua sententia, CAJETANUM, AMBROSILUM CATHARINUM, DIEGHUM BAYNA, NICOL. SANDERUM, & THOMAM WALDENSEM citat, docentes utique non esse prohibitum DEUM representare in forma corporea, quia in tali Spiritus S. se hic manifestavit. Sed hisce sese opponunt, ut alios taceam, ex Reformatis Theologis, FRIDER. SPANHEMIUS, Dub. Evang. Part. I. Dub. XLVIII., qui dicit *Pontificios hoc exemplo abuti*, & NICOL. ARNOLDUS in Vindic. & Concil. V. & N. T., quem librum inscripsit *Lux in Tenebris*, Francof. An. 1664. edit. Rationes eorundem potissimæ sunt hæ: Quia, quod in momentanea representatione à DEO factum, nobis imitari non licet, quia sic quoque Spiritus S. pingendus esset sub status aut linguarum ignearum specie, in quibus apparuit Act. II, 2. Et DEUS in specie Rubi ignis, nubis, turbinis, &c. In ejusmodi representationibus materialibus cogitationes hominum affigi ligno & saxo, notionesque de DEO indignè concipi &c. Nec illam columbam vel adoratam, vel invocatam, sive à S. Johanne, sive à Populo ad ripam Jordanis stante. Nos quantum ad ultimam rationem iisdem assentimur, scilicet indecorum, ineptum & impium esse, ad cultum & superstitionem talia fingere & proponere. Cæterum depingere ejusmodi apparitiones, ut *ex pictura, qua Idiotis, qui legere non possunt, id præstat, quod legitibus Scriptura*, ut loquitur GREGOR. M. Epist. IX. Lib. IX., discant eandem historiam, non esse indecorum, ineptum aut impium judicamus. Concludimus ergo hanc quæstionem à Nostratibus satis superque dilucidatam B. CHEMNITII verbis in Examin. Concil. Tridentini de Imaginibus, p. m. 682. *Si quis existimet essentiam DEI vel lineamentorum circumscriptionibus, vel colorum varietatibus exprimè posse, aut talem esse divinitatis naturam, sicut Anthropomorphite finxerunt, is merito damnatur: Sicut Es. XL. scriptum est. Cui similem facietis DEUM, aut quam imaginem ponetis ei? Si verò sine prava*

*opinione, & sine superstitione, non quidem ipsa divinitatis essentia, sed tantum species illa visibiles, quibus olim DEUS presentiam suam patefecit (sicut Dan. VII. apparet antiquus dierum & Luc. III. Spiritus S. corporali specie columba descendit) historicè pingantur: Aut si Christus in servi forma, in qua DEUS manifestatus est, tanquam memoraculum historiarum Evangelicarum exprimatur, illud quidem prorsus damnare non ausim; sicut nec damnari potest, si figura visionum divinarum Apocalypseo colore exprimantur. Lubenter tamen fateor periculosum esse, vel divinitatis aliquam imaginem quocumq; pretextu facere, facile enim potest impingi in legem DEI Deuter. IV. Et. XVII. Optimam verò, certissimam & utilissimam DEI & Christi imaginem esse, quam mentis nostra agnitio ex verbo DEI format & concipit. Sed tamen de indifferentibus odiosè dimicandum non est: Sicut enim non pietas, ita nec peccatum in illis collocari debet, si non accedant pravae Opiniones & Abusus. Quia enim DEUS ipse in visionibus tales imagines ostendit, sicut peccatum non est tales visionum historias verbis exprimere, ita peccatum non erit, tales Scripturae historias historicè & ad visum historicum picturis representare, modò illud fixum maneat, ipsam divinitatis essentiam, nec debere, nec posse figura aut imagine aliqua exprimi.*

*Hicce ob signaturis hanc tractationem, Disputatio Celeberr. Profess. Helmstad. D. JOH. ANDR. SCHMIDT de Columbis in Ecclesia Graeca & Latina usitatis, Anno 1711. mensis Decembr. edita, in manus venit, in qua ex antiquitate Ecclesiastica de columbarum imaginibus in Baptisteriis jam inde antiquitus, non tantum ornatus gratia, sed etiam in memoriam hujus apparitionis in baptismo factae, depictis, vel ex auro, argento ligno fabricatis & super fontem appensis, nec non usu ejusmodi columbarum arte factarum & appensarum in Altari, in Ambone sacro, ad imaginem Crucis, ad reliquias SS. & Tumulos Martyrum, eruditè ut solet, disserit, meritò commendanda. Nos quod attinet usum ejusmodi vasculorum in forma columbarum ad S. Altare, pro recondendis placentulis panis Eucharistiae destinatis, & Imaginum Columbae in Baptisterio & super caput Concionatoris in suggestu praedicantis, cum utiles & pias prebeant commonefactiones, eundem non improbamus: Consuetudinem verò, quam alicubi observavit laud. Autor, quà festo Pentecostes, inter preces & hymnos è superiore parte templi inaurata dimittitur Columba in Altare, quam alie per templum volitantes è laqueari demissa columbae sequuntur, non possumus non improbare, ingeminantes illud, quod laud. Autor ex THOMA NAEOGEORGO in Regno Papatus lib. 4. p. 155. addit:*

*In Pentecoste mites albaeque columbae,  
 Funiculis leviter binctae mittuntur ab alto;  
 Cernis, ut idolis ludant, doceantque populum,  
 Non secus ac puppis tenere assuescere puella.*

S. D. G.





00 A 6445


ULB Halle 3  
002 937 573




5b.

R 1017 HL. 96.









DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# SPIRITUS SANCT

APPARITIONE ET DESCENSU  
SUPER CHRISTUM BAPTIZATUM

IN SPECIE

## COLUMBÆ,

Matth. III, 16. Marc. I, 10. Luc. X, 22.

*Quam*

ANNUENTE DIVINA GRATIA.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

*AUGUSTO atque SERENISSIMO  
PRINCIPE ac DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WILHELMO**

REGNI BORUSSIACI ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c. &c.  
*IN ACADEMIA PATRIA,*

CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE THEOLOGICA  
*SUB PRÆSIDIO*

**DN. BERNHARDI von SANDEN**

SS. Theol. D. & Profess. Primar. Conc. Aulici Prim.  
& Consil. Confistor. Samb.

*habebit*

RESPONDENS AUTOR

**ALBERTUS COLUMBUS, L. Boruff.**

Phil. & Theol. Stud.

*ad diem Aug. A. 1712. H. L. C.*

REGIOMONTI, Typis ZÆNCKERIAN